This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Schoellii, R: Adolfo Schoellii

Ga 2
825

Gd 9.825

Harvard College
Library

FROM THE FUND GIVEN BY

Stephen Salisbury

Class of 1817

OF WORCESTER, MASSACHUSETTS

For Greek and Latin Literature

ADOLFO SCHOELLIO

PATRI OPTIMO

DIEM II. MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXXV

NATALEM SEPTUAGESIMUM

PIE GRATULANTUR

RUDOLFUS ET FRIDERICUS SCHOELLII

INEST

RUDOLFI SCHOELLII

DE SYNEGORIS ATTICIS COMMENTATIO

FRIDERICI SCHOELLII

DE LOCIS NONNULLIS AD ÆSCHYLI VITAM ET AD HISTORIAM TRAGŒDIÆ GRÆCÆ PERTINENTIBUS EPISTULA

IENAE

IN AEDIBUS H. DUFFTI

MDCCCLXXVI.

ADOLFO SCHOELLIO

PATRI OPTIMO

DIEM II. MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXXV

NATALEM SEPTUAGESIMUM

PIE GRATULANTUR

RUDOLFUS ET FRIDERICUS SCHOELLII

INEST

RUDOLFI SCHOELLII

DE SYNEGORIS ATTICIS COMMENTATIO

Friedrich

FRIDERICI SCHOELLII

DE LOCIS NONNULLIS AD ÆSCHYLI VITAM ET AD HISTORIAM TRAGŒDIÆ GRÆCÆ PERTINENTIBUS EPISTULA

IENAE

IN AEDIBUS H. DUFFTI

Ga 9.825.

HARVARD COLLEGE LIBRARY

1877, Sept. 30.
Salisbury fund.

DE SYNEGORIS ATTICIS

COMMENTATIO

RUDOLFUS SCHOELL
ADOLFO PATRI S.

Nolui equidem, pater optime, festi huius diei atque meliore lapillo nobis numerandi memoriam mea aliqua tessera privari, qua votis pro Tua salute sancte conceptis accedat publica quoque pietatis et venerationis testificatio. Constitueram autem, de quibus aliquotiens sermocinando Tecum praesens egi, cum Herodoti historiae quo tempore quove ordine compositae essent disceptaremus, ea retractata et in amplioris disquisitionis formam redacta Tuae probationi submittere: quam quidem quaestionem neque absolutam esse existimo neque absolvere posse nisi qui viam a Te primo ante hos undeviginti annos patefactam incorrupto iudicio persecuturus sit. Atqui haec perficere cum per temporis angustias variaque quibus distineor negotia non licuerit: ut fidem exsolverem, aliud mihi brevioris tractationis argumentum eligendum erat idque ex ea disciplina promendum, in qua cum maxime studia mea versantur. In quo non minus Tua probatione mihi opus esse sentio. Soleo enim ad Te primum referre si quae omnino in hisce studiis proficere mihi contigerit, quorum Te et auctorem habui gravissimum et existimatorem candidissimum habere numquam desinam. Accipe igitur benigne, mi pater, hoc quantivis pretii munusculum, meque amare perge.

§ 1.

Athenienses quo magis se veram omnibusque numeris consummatam popularis imperii imaginem effecisse gloriabantur omnibus pariter civibus et aequali publice dicendi iure concesso et aditu ad publica munera capessenda aperto, eo plura et firmiora praesidia instruere operam dabant, ne quis ista aequabili cunctorum libertate sive magistratus sive privatus in rei publicae detrimentum abuti posset. Itaque et accedentibus ad rem publicam *δοκιμασίαι* et magistratum gerentibus crebrae *ἐπιχειροτονίαι* et post gestum *εὔθυναι* subeundae erant. Pariterque a privatorum iniuriis populi maiestas variis legibus iudiciis suppliciis vindicabatur. Quae sicubi sufficere non videbantur in ea civitate, quae civium contentionibus acerrimisque partium studiis continuo agitaretur, in promptu erant nova ex populi scitis remedia et consilia extraordinaria quamvis ipsa quoque novis periculis saepe obnoxia. Atque de eis, quibus fraus fieret rei publicae, universi populi erat providere in contionibus ac iudiciis suamque auctoritatem integram servare: causa autem agenda aut magistratibus aut procuratoribus quibusdam committebatur, quibus suas ipse partes — nam ipsius quasi persona in periculo versari cogitabatur — populus deferret. Hinc nomen duxerunt qui *συνήγοροι* vel *σύνδικοι* appellantur: quod munus publicum non solum Athenis, sed in aliis quoque Graeciae civitatibus extitisse constat. Nam *συνήγορος* et *σύνδικος* intellegendus est *τῆς πόλεως* seu *τοῦ δήμου* [1]), is qui cum civitate verba facit causamque dicit, id est qui civitatis nomine agit boni publici interpres aut vindex. Cuius generis quamquam plura longeque inter se diversa munia apud Athenienses inveniuntur, hoc tamen commune habebant, ut eas rationes atque quaestiones respicerent

1) *συνήγοροι τῆς πόλεως* sc. Oropi in titulo CIG I n. 1570 l. 26. Atticis genetivus numquam additur, quo tuto careri poterat. Cf. tamen Aesch. 1, 19.

quae intercedere solent inter rempublicam et cives singulos: in quibus illos oportebat populi iura et commoda a singulorum licentia tueri.

Diversa autem fuisse officia quae eadem appellatione (*συνήγορος, σύνδικος*) comprehenduntur, auctorum testimoniis efficitur. Quae iam inter veteres interpretes fuerunt qui confunderent. Nam quae una usque ad principium huius saeculi innotuerat diserta rei explicatio apud scholiastam Aristophanis ad vesp. v. 690: *ἐλάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμήν, ὅτε συνηγόρουν ὑπὲρ τῆς πόλεως ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινός· ἐκ τούτου δὲ φαίνεται, ὅτι μισθοφόρος ἦν ἡ ἀρχή· κληρωτοὺς δὲ γενομένους δέκα συνηγόρους Ἀριστοτέλης φησίν* —: ea prorsus aliena misceri primus recte docuit Schoemannus.[1] Nec mirum quod tali testimonio in errorem se abripi passi sunt Petitus et qui post eum de peculiari ordine denorum oratorum quotannis creandorum statuerunt.[2] Atqui ne hodie quidem diversa genera eo quo par est modo discerni videntur nec, quid cuique proprium sit, satis definitum esse. Quare non vereor ne actum agere dicar in hanc rem dedita opera inquisiturus.

Iam quod Aristotele auctore scholiasta supra citatus refert magistratum fuisse Athenis decemvirum qui *συνήγοροι* vocarentur sorte quotannis electum: de eo accuratiora comperimus lexicorum rhetoricorum beneficio. Nam lexicon Seguerianum haec habet (p. 301 Bekk.): *Συνήγοροι ἄρχοντες ἦσαν κληρωτοί, οἳ τοῖς λογισταῖς ἐβοήθουν πρὸς τὰς εὐθύνας τῶν ἀρξάντων τινὰ ἀρχήν.* Idem uberius exponitur in Claudii Casilonis lexico Cantabrigiensi (p. 349 Nauck.): *Λογισταί. καὶ συνήγοροι: Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ οὕτω λέγει. Λογισταὶ*[3] *δὲ αἱροῦνται δέκα, παρ' οἷς διαλογίζονται πᾶσαι αἱ ἀρχαὶ τά τε λήμματα καὶ τὰς γεγενημένας δαπάνας· καὶ ἄλλους δέκα συνηγόρους*[4]*, οἵτινες συνανακρίνουσι τούτοις· καὶ οἱ τὰς εὐθύνας διδόντες παρὰ τούτοις ἀνακρίνονται πρῶτον,*

---

1) de comitiis Ath. p. 108. — Denuo haec turbavit C. F. Hermann de iure et auct. magistr. (1829) p. 18 sq.

2) cf. praeter citatos a Schoemanno Schneider ad Aristotelis pol. II p. 504. Meier de bonis damnatorum p. 112. Nam Boeckhius in altera editione libri *Staatshaush. d. Ath.* I 336 sententiam mutavit.

3) *λογισταὶ* cod. em. Dobraeus.

4) *ἄλλοις δέκα συνηγόροις* cod. em. Nauckius (*ἄλλοι δέκα συνήγοροι* alii). Contra verba tradita interpolavit, non emendavit Meierus (fragm. lex. rhet. p. XXIII),

εἶτα ἐφίενται εἰς δικαστήριον εἰς ἕνα καὶ πεντακοσίους [1]). Inde primum hoc apparet, quaecumque de isto collegio traduntur — ut pleraque quae de Atticorum rebus publicis in lexicis comparent — uni omnia deberi Aristotelis libro de republica Atheniensium. Ibi philosophus de officiis eis, ad quae magistratus rationes referre administrationis oportebat, singillatim disputaverat atque quid esset discriminis logistas inter et euthynos exposuerat [2]): qua enarratione quod nunc in re omnium intricatissima caremus, aegre sane ferendum. Et hinc quidem recte Boeckhius affirmavit decem synegoros non licere eosdem intellegere atque euthynos: sumit autem illos videri publicos quasi advocatos fuisse, qui, si rationes parum satisfacerent, in iudicio actionem contra magistratum reum orationibus habitis adiuvarent [3]). Similem fere partem Schoemannus eis tribuit: ut quem logistae fraudis reum in iudicium deduxissent, accusaret 'unus ex decem synegoris, quos ob id ipsum euthyni adiunctos sibi habebant' [4]). Scilicet eiusmodi officium viri docti coniectura informabant, quod responderet notis illis synegoris ad publica delicta persequenda creatis: dum nomina conciliare student, parum curantes et rei discrepantiam et disertam Aristotelis definitionem. Etenim oratores publici sorte a populo creari vereor ut cuiquam apte videantur: euthynis vero praeter assessores binos cuique adlectos synegoros quoque sorte ductos tamquam adiutores adfuisse nec traditur nec veri simile est [5]). Neque quidquam Aristoteles habet de publica accusatione: verum ἀνάκρισιν magistratuum refert synegoros una cum logistis instituisse, priusquam in iudicium transmitterentur. Ea res quid sibi velit quo

---

cum ita restitui iuberet: καὶ [τούτοις ἐβοήθουν] ἄλλοι [τε καὶ δὴ καὶ οἱ] δέκα· συνήγοροι, οἵτινες συναναχρίνουσι τούτοις [τοὺς ὑπευθύνους]· καὶ [γὰρ] οἱ τὰς εὐθύνας κτλ.; nisi quod in seq. recte ἀναχρίνονται dedit pro ἀναχρίνοντες codicis.

1) adde Photium s. v. *Συνήγοροι· οὐ μόνον οἱ τοῖς ἰδιώταις συναγορεύοντες, ἀλλὰ καὶ ἄρχοντες Ἀθήνησιν.*

2) Harpocratio v. *εὔθυνοι.* v. *λογισταί.*

3) *Staatshaush. d. Ath.* I 272; id. Mus. rhen. I (1827) p. 61. 85. Sim. C. F. Hermann de iure et auct. magistr. p. 18 n. 46. p. 19. 53.

4) Antiq. iur. publ. p. 241. Opusc. I 294. Cf. Meier *Att. Proc.* p. 102. 220. Platner *d. Process u. d. Klagen* I 346. C. F. Hermann *Staatsalt.* § 154, 15.

5) Nam G. Hermanni opinionem (*über Herrn Prof. Böckh's Behandlung d. griech. Inschr.* p. 234) συνηγόρους eosdem illos esse assessores (παρέδρους) — qui nec decem fuerunt, sed viginti, nec sorte ducti, sed ab ipsis euthynis adrogati — Boeckhius refellit Mus. rh. I. p. 85.

certius perspiciatur, paulo altius repetam quaestionem de illorum magistratuum officiis in causis rationum reposcendarum definiendis. Neque tamen hoc ago, ut omnem disquisitionem de logistis et euthynis difficilem sane necdum plane exploratam denuo exhauriam atque adeo turbas revocem, quae olim ea de re motae inter viros primarios Augustum Boeckhium et Godofredum Hermannum dudum consopitae sunt. Verum de diversa utriusque muneris ratione ex eis maxime quae in altera editione libri de oeconomia civitatis Atheniensium Boeckhius exposuit (p. 264 sq.) in universum nunc quidem constare arbitror. Hoc autem loco ea potissimum persequar quae ad iuris dictionem eorum et in iure agendi modum pertinent: in quibus plura adhuc vel neglecta vel minus recte enarrata video.

§ 2.

Omnibus quicumque aliquam rei publicae partem curassent officiisve functi essent ordinariis extraordinariis, mandatis voluntariis, sacris profanis, rerum in officio gestarum et inprimis pecuniae acceptae et impensae rationes publice reddendae erant.[1]) Atque ipsius populi erat rationes repetere: quod institutum adeo in primis popularis imperii rudimentis censebatur. *Videtur nempe Solon*, inquit Aristoteles, *maxime necessariam plebi potestatem impertisse magistratus creandi et ad rationem reddendam vocandi. Nam quae ne harum quidem rerum particeps esset plebs servorum et hostium loco erit.*[2])

Iam quo iure quoque pacto populus ipse hanc potestatem exercere dicatur, paulo fusius disquirere operae pretium est. Neque enim apte ad logistas et euthynos id referas tamquam populi nomine agentes, quibus rationes munerum gestorum examinandae ac

1) id quam late patuerit, Aeschines persequitur in Ctes. § 14 sq. 17 sq.

2) polit. 2 12, 4 (quod cap. a philosopho iniuria abiudicant) p. 1274 a *ἐπεὶ Σόλων γε ἔοικε τὴν ἀναγκαιοτάτην ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ δύναμιν, τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι καὶ εὐθύνειν. μηδὲ γὰρ τούτου ὁ δῆμος ὢν κύριος δοῦλος ἂν εἴη καὶ πολέμιος.* cf. 3 11, 7 p. 1281 b *διόπερ καὶ Σόλων καὶ τῶν ἄλλων τινὲς νομοθετῶν τάττουσιν ἐπί τε τὰς ἀρχαιρεσίας καὶ τὰς εὐθύνας τῶν ἀρχόντων, ἄρχειν δὲ κατὰ μόνας οὐκ ἐῶσιν.* ib. § 9. § 11 p. 1282 a. 6 (4) 14, 4 p. 1298 a. 7 (6) 4, 2. 3 p. 1318 b *ἔτι δὲ τὸ κυρίους εἶναι τοῦ ἑλέσθαι καὶ εὐθύνειν ἀναπληροῖ τὴν ἔνδειαν, εἴ τι φιλοτιμίας ἔχουσιν . . . . . διὸ δὴ καὶ συμφέρον ἐστὶ τῇ πρότερον ῥηθείσῃ δημοκρατίᾳ καὶ ὑπάρχειν εἰώθεν, αἱρεῖσθαι μὲν τὰς ἀρχὰς καὶ εὐθύνειν καὶ δικάζειν πάντας, ἄρχειν δὲ τὰς μεγίστας αἱρετούς κτλ.* Sim. Isocr. 7, 26 sq. 12, 147.

iudicia de magistratu sive reo sive fraudis suspecto instituenda committuntur: quae opera nihil commune habet cum more magistratuum per universum populum creandorum. Longe aliam in partem hac ipsa duarum notionum coniunctione usi dicam an abusi sunt Georgius Grote et qui vestigiis magni viri insistentes rei publicae Atheniensium historiam retexere novisque luminibus distinguere studuerunt.[1] Qui ex Solonis instituto in comitiis totius populi opinantur ut creationes magistratuum ita euthynas quoque actas fuisse: eisque comitiis, quae rationibus post munus administratum reddendis rebusque expostulandis destinata fuerint, quasi iudiciali quadam auctoritate praeditis nomen heliaeae vindicant, quod postea demum ad heliastarum iudicum collegia ab Ephialte et Pericle instituta translatum autumant. Redit autem ista opinio ad ampliorem quaestionem de origine iudiciorum popularium: quam num iure Periclis quam Solonis aetati adscribere malint, non huius loci est pluribus disceptare; satis habebo ea exposuisse quae proprie faciunt ad rem propositam declarandam. In quo protinus omni probabilitate destituitur duplex nomen eidem contioni impositum resque diversissimae, ecclesia et heliaea, non genere et indole, verum fortuita negotiorum partitione disiunctae.[2] Neque omnino comitia ordinaria iudicandi munere et potestate instructa Athenis ulla fuere — aliena autem hinc testarum suffragia —, ac ne posteriore quidem tempore nisi raro et per abusum occupavit ecclesia iudicum sententiam: nedum ut *τὰ δικαστήρια*, quae Aristoteles Solonem dicit ex cunctis civibus constituisse, liceat ad eandem illam significationem iudicialium quarundam contionum universi populi detorquere[3]. Nam Harpocrationem v. *Ἀρδηττός*

1) Grote *hist. of Greece* III 173 n. V 477 sq. Aem. Mueller in Fleckeiseni annalibus t 75 (1857), 746 sq. E. Curtius *Gr. Gesch.* I 306. II 199 (ed. 3). Säve de Areopago et iudiciis heliasticis (Upsaliae 1862) p. 22 sq., 38 sq. W. Oncken *Athen und Hellas* I 149 sq., 167. II p. VII sq. Id. *die Staatslehre des Aristoteles* II 495 sq. al.

2) Nil proficimus paulo mutata definitione qua heliaea antiquitus comitium fuisse, ecclesia concilium extra ordinem de legibus, de bello ac pace similibus habitum putatur (Mueller l. c., Säve l. c. p. 40). Ceterum Argivorum quoque heliaeam non comitium, verum iudicium fuisse nuper docuit C. Wachsmuth *die Stadt Athen im Alt.* I 496 n. 1.

3) sic enim verba pol. 2 12, 2 p. 1273 b *ἔοικε δὲ Σόλων . . . . . τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων. διὸ καὶ μέμφονταί τινες αὐτῷ· λῦσαι γὰρ φατέραν κύριον ποιήσαντα τὸ δικαστήριον πάντων, κληρωτὸν ὄν* Onckenus conciliare cum illa sententia conatur; cum aliis Aristoteles vel errasse vel

(inde id. Suidas et grammaticus Bekkeri p. 443) verbis *ἐν τούτῳ, φασί, δημοσίᾳ πάντες ὤμνυον Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν* non de antiquiore nescio quo instituto testari, sed temere ad omnes Athenienses referre quod tantummodo de sex milibus heliastarum sorte quotannis captorum valet, et res monstrat et aliorum testium comparatio.[1])

Mirum profecto, qui Solonis istam heliaeam ad euthynas exigendas ex civibus omnibus paratam cupidius quam felicius effinxerunt, eosdem non antiquius habuisse quaerere, quaenam quinto quartove saeculo euthynarum forma et condicio fuerit: de cuius aetatis institutis certius iudicandi ex fontibus copia abunde facta est. Praestat enim, opinor, a notis et diserte testatis proficisci, unde de incertis et remotioribus coniecturam capere tutius liceat, quam praecipere opinione quae solidis argumentis munire nequeas. Quid igitur? Num etiam Periclis et Demosthenis temporibus magistratus coram universo populo rationem reddere solitos censebimus? Id haud cunctanter affirmat Onckenus; de praetoribus saltem haud raro factum esse innuit Aem. Müllerus, exemplis ille quidem usus haudquaquam idoneis. Etenim quod Ergocles Thrasybuli amicus contionis suffragiis supplicio affectus esse fertur[2]), non de euthynis accipiendum est, verum de eisangelia et iudicio populi sive compendiario, quale tum secundum Cannoni plebiscitum competebat, sive tumultuario, quale ad exemplum funestum sex praetorum post pugnam ad Arginussas iudicatorum institui poterat[3]). Pollux vero VIII 88 inter res thesmothetarum iurisdictioni subiectas praetorum quoque euthynas enumerans plane contrarium probat.

---

parum accurate locutus esse videatur. Contra *δικαστήριον* ab ullo umquam scriptore vetere ante imperatorum Romanorum tempora aliud nisi iudicum collegium appellari olim recte negavit Schoemann de comitiis Ath. p. 69 E sq.

1) Pollux VIII 122. Bekk. Anecd. p. 207. 443. Et. M. p. 147. cf. Westermann de iuris iurandi iudicum Ath. formula 1 (Lips. 1859) p. 8. Omnia confundit grammaticus Bekk. An. p. 310 v. *Ἡλιαία*, de quo vid. Schoemann *die Verfassungsgeschichte Athens* p. 37.

2) Lysiae or. 28 (a. 389); 29 § 2. 12. Eiusdem generis fuit Timothei et Antimachi damnatio a. 373: [Dem.] 49, 9 sq.

3) cf. L. F. Herbst *die Schlacht bei den Arginusen* (Hamb. 1855) p. 51 n. 70. 45 n. 62. Ad Cannoni plebiscitum respicere dicas praeceptum in titulo insigni quo senatus auctoritas definitur CIA I 57 l. 37 [*ἄνευ τοῦ δήμου τοῖ Ἀθηναίων πλη]θύοντος μὴ εἶναι θάν[α]τ[ο]ν* (vel *θανατοῖν*) . . . .

At, ne multa, nihil certius est quam in heliastarum iuratorum iudicio rationes munerum reddi solitas esse eoque omnes deinceps magistratus et curatores exacto officii tempore a logistis, qui ei iudicio praesiderent, deduci, ut accusandi, si quis vellet, copia daretur. Id cum vulgo neglegi immerito videam ac de eis dumtaxat statui, qui aut logistis rationes parum probarint aut ab accusatore apud logistas postulati sint: iam testimonia quae in promptu sunt omnia apponam. Narrat Demosthenes in oratione de male gesta legatione (§ 211), cum ipse alterius quoque legationis sicuti prioris rationem redditurus esset, Aeschinem cum testibus adisse logistas, vetuisse ne Demosthenem in iudicium vocarent: *προσελθὼν Αἰσχίνης οὑτοσὶ τοῖς λογισταῖς ἔχων μάρτυρας πολλοὺς ἀπηγόρευε μὴ καλεῖν ἐμὲ εἰς τὸ δικαστήριον ὡς δεδωκότα εὐθύνας καὶ οὐκ ὄντα ὑπεύθυνον*[1]). Disertius idem orator pariter de se locutus quae in munimentorum curatione praestitisset: *νὴ Δί' ἀλλ' ἀδίκως ἦρξα; εἶτα παρών, ὅτε με εἰσῆγον οἱ λογισταί, οὐ κατηγόρεις;* (de cor. § 117): a quibus verbis alienissimam esse accusationis per logistas ad iudices delatae significationem non monerem, nisi Boeckhium quoque viderem ita interpretatum esse[2]). Haud secus Aeschines in celebri descriptione officiorum quorum rationes repeti solent (3, 19 sq.): *οὐ τοίνυν*, ait, *μόνοι οἱ τριήραρχοι, ἀλλὰ καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἐν τῇ πόλει συνεδρίων ὑπὸ τὴν τῶν δικαστηρίων ἔρχεται ψῆφον. πρῶτον μὲν γὰρ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς ὁ νόμος κελεύει λόγον καὶ εὐθύνας διδόναι, καὶ τὸν ἐκεῖ σκυθρωπὸν καὶ τῶν μεγίστων κύριον ἄγει ὑπὸ τὴν ὑμετέραν ψῆφον κτλ.* His congruenter auctor lexici Cantabrig. p. 332 Nauck. *ἀλογίου δίκην* commentatur: *ὅταν τινὲς λαβόντες χρήματα εἰς ἀναλώματα δημόσια μὴ ὦσιν τοὺς λόγους ἀνενηνοχότες* (l. *ἀπενη-*

---

1) Schol. Aug. ad. h. l. *λογισταὶ ἐκαλοῦντο οἱ εἰσάγοντες ἐν τῷ δήμῳ τοὺς ὑπευθύνους πρὸς τὸ δοῦναι εὐθύνας* male ex oratore ipso haustum est. Non audiendus Meierus *Att. Proc.* p. 220 n. qui *δικαστήριον* in collegii partem accipere mavult: nec felicius explicat C. F. Hermannus (de iure et auctoritate magistr. p. 68 n. 94) 'quod logistarum examen iudicii veluti exordium haberetur, quaeque ipsi, nemine contradicente, compendiaria ratione decrevissent, aeque rata essent ac si populari sententia niterentur'.

2) Mus. rhen. I p. 74. Platner *d. Process u. d. Klagen* I 345; alii. Quid loci ratio posceret rectius assecutus est Heffterus *athen. Gerichtsverf.* p. 375 n.

νοχότες) *τοῖς δικασταῖς* [1]). Denique ad Attici usus exemplum sine dubio efficta est Platonis comparatio in Politico (p. 299 A): *ἐπειδὰν γὰρ δὴ τῶν ἀρχόντων ἑκάστοις ὁ ἐνιαυτὸς ἐξέλθῃ, δεήσει δικαστήρια καθίσαντας ἀνδρῶν, ἢ τῶν πλουσίων ἐκ προκρίσεως ἢ ξύμπαντος αὖ τοῦ δήμου τοὺς λαχόντας, εἰς τούτους εἰσάγειν τοὺς ἄρξαντας καὶ εὐθύνειν, κατηγορεῖν δὲ τὸν βουλόμενον, ὡς οὐ κατὰ τὰ γράμματα τὸν ἐνιαυτὸν ἐκυβέρνησε τὰς ναῦς οὐδὲ κατὰ τὰ παλαιὰ τῶν προγόνων ἔθη.* Ac de decem praetoribus ex diserto quod p. 12 attuli Pollucis testimonio constat euthynas ab eis in iudicio relatas esse; nisi quod ibi thesmothetae praesidebant, non logistae [2]). Eundem autem usum posteriora quoque saecula servarunt: quando quidem de cosmeta epheborum in decretis duobus alterius a. Chr. saeculi (*Ἐφ. ἀρχ.* 4097 v. 41. 4107 v. 61 sq) dicitur *περὶ πάντων τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν ἔδωκεν τὰς εὐθύνας ἐν τῷ δικαστηρίῳ κατὰ τὸν νόμον.*

Institutum igitur fuisse non iam dubitabimus quod omni ex parte responderet *δοκιμασίᾳ*, qualis ante munus ineundum fiebat. Etenim sicut, qui magistratus electi sive sortitione sive suffragiis erant, omnibus probatio in heliastarum iudicio subeunda erat, ubi et ipsi de rebus suis responderent sollemniter interroganti, thesmothetae scilicet, et quivis ex civibus proferret si quid esset, quo irritam fieri electionem iudicaret, et denique iudices suffragio suo vel probarent civem creatum vel reprobarent [3]): ita qui officio qualicumque perfuncti erant, omnes tempore exacto in iudicium prodire, expurgare sese, si quis accusator existeret, iudicum suffragia expectare debebant, quibus aut absolverentur ut rebus rite gestis aut condemnarentur [4]).

---

1) *τοῖς λογισταῖς*. Meierus corrigit et *λογισμοὺς* pro *λόγους*, temere utrumque.

2) Ambigue loquitur Plut. Per. 23 *τοῦ δὲ Περικλέους ἐν τῷ τῆς στρατηγίας ἀπολογισμῷ δέκα ταλάντων ἀνάλωμα γράψαντος ἀνηλωμένων εἰς τὸ δέον ὁ δῆμος ἀπεδέξατο μὴ πολυπραγμονήσας μηδ' ἐλέγξας τὸ ἀπόρρητον.* Add. Themistius or. 4 p. 68, 11 Dind. Ceterum consulto abstinui a loco Ps. Lysiae 9, 11 *οὔτε γὰρ εὐθύνας ὑπέσχον* (scil. *τῆς ἐπιβολῆς οἱ στρατηγοί*) *οὔτε εἰς δικαστήριον εἰσελθόντες τὰ πραχθέντα ψήφῳ κύρια κατέστησαν· εἰ δ' οὖν ἐζημίωσαν μὲν οἵδε προσηκόντως, ἐκύρωσαν δ' ἐν ὑμῖν τὴν ἐπιβολὴν κτλ.*: ubi *δικαστήριον* non ad euthynas pertinet nec ad logistarum examen quo male refert C. F. Hermannus l. c., verum agitur de iudicio constituendo quo multam impositam ratam reddat magistratus.

3) cf. Aesch. 3, 15 et quos Hermannus citat *Staatsalt.* § 149.

4) Aliqua ex parte in comparationem veniunt quae de Lycurgo narrat auctor Vit. X or. p. 842 e: *μέλλων δὲ τελευτήσειν εἰς τὸ μητρῷον καὶ τὸ βουλευτήριον ἐκέλευσεν αἰτὸν κομισθῆναι, βουλόμενος εὐθύνας δοῦναι τῶν πεπολιτευμένων.*

Itaque ad istam in iudicio actionem revocandum erit sollemne illud praeconis logistarum *τίς βούλεται κατηγορεῖν;* [1]) Nam quod putant statis diebus quibus magistratus apud logistas rationes redderent, isto praeconio in foro enuntiato accusatores si qui essent in logisterium invitari [2]): neque eius rei apud Aeschinem indicium est neque omnino multum probabilitatis habet eiusmodi causa acta in logisterio. Contra de magistratu in iudicium experiundi causa educto ita enuntiari apprime rei convenit.

Atqui obverti non sine specie potuerit Stratonis causa a Demosthene in Midiana (§ 87) indicata magis quam exposita. Qua tamen tantum abest, ut quod posui infringatur, ut firmum inde auxilium adquirat. Ita enim res se habet. Strato Phalerensis arbiter publice constitutus in causa Demosthenis contra Midiam *κακηγορίου* sententiam secundum Demosthenem dixit. Hinc Midias Stratoni insidias moliturus sententiam quidem ratam fieri patitur, ne illi suspicionem moveat: sed eorum dierum quibus arbitrorum publicorum euthynae fixae erant ultimum oppertus [3]) —

οὐδενὸς δὲ κατηγορῆσαι τολμήσαντος πλὴν Μενεσαίχμου τὰς διαβολὰς ἀπολυσάμενος εἰς τὴν οἰκίαν ἀπεκομίσθη. Quae si modo ita se habuerunt — diversa autem miscere biographum arguere videtur metroi et curiae cum Menesaechmi accusatione coniunctio, quam parum probabiliter explicat Wachsmuth *d. Stadt Athen* I 163, — tamen utique prorsus singularis exempli res erat: cum Lycurgus sua sponte accederet ad defendendam administrationem, cuius dudum rationem rite reddidisset. cf. Meier de Lycurgo p. LXII sq. Boeckh *Staatsh.* II 115. Certe ad senatum ea res revocari poterat similiter atque ad prytanes ex Dracontidis decreto iuris dictio de Periclis administratione aerarii (Plut. Per. 32 *ὅπως οἱ λόγοι τῶν χρημάτων ὑπὸ Περικλέους εἰς τοὺς πρυτάνεις ἀποτεθεῖεν, οἱ δὲ δικασταὶ τὴν ψῆφον ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέροντες ἐν τῇ πόλει κρίνοιεν*): nimirum in causae actione ipsa quoque plane inaudita. Cf. etiam inscriptionem *Ἐφ. ἀρχ.* 4104 v. 89 (infra p. 28 n. 1); item CIG I n. 108 v. 19.

1) Aesch. in Ctes. 23 *οὐκ οὖν ἐχρῆν σε, ὦ Δημόσθενες, ἐᾶσαι τὸν τῶν λογιστῶν κήρυκα κηρῦξαι τὸ πάτριον καὶ ἔννομον κήρυγμα τοῦτο · 'τίς βούλεται κατηγορεῖν'*;

2) Meier *Att. Pr.* p. 219. Platner l. c. 346 sq. Schoemann Ant. iur. publ. p. 241. C. F. Hermann *Staatsalt.* § 154, 6.

3) ita explicanda esse vv. *φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν διαιτητῶν* certum est idemque confirmat Pseudo-Ulpianus in schol. Nec quidquam proficitur correctione *τῶν διαιτῶν*.

Quamquam alia omnia ex his verbis elicere placuit Bergkio in actis diurnis antiq. scient. a. 1849 p. 274 sq.: qui *ἡμέραν* non interpretatur diem, sed conventum sive consessum; qua notione antiquiore etsi nusquam sane alias obvia Atticos de diaetetis maxime uti non mirum esse, quoniam ipsa vox *δίαιτα* et stirpe et significatu nihil aliud sit nisi 'dies' (ex *ΔΙϜΑ, διατια*). Singularis ista quidem ratiocinatio,

quo die et alii arbitri aberant et Strato, quippe cum neminem iam accusatorem extiturum confideret — ex improviso praevari-

---

ne quid de vocabuli originatione dicam. Nec minus singularia alia super tali fundamento superinstruit quibus Demosthenis loco novam lucem affundat. Namque cum firmiter sibi persuaserit nullo modo fieri potuisse, ut diaetetae, qui iudicum loco essent, *εὐθυνῶν* causam dicerent, ad *εἰσαγγελίαν* omnia revocat quam contra diaetetas improbos concessam fuisse Harpocratio v. *εἰσαγγελία* tradit. Iam eisangeliam sumit non ad populum sive iudices heliastas deferri solitam esse, sed ad diaetetarum conventum, ideoque in Harpocrationis verbis *ἐξῆν τοῦτον εἰσαγγέλλειν πρὸς τοὺς δικαστάς* corrigendum *πρὸς τοὺς διαιτητάς*. Nam diaetetarum ponit decem fuisse ordines qui diebus fastis suo quisque loco convenerint: praeterea autem singulis cuiusque prytaniae diebus communem consessum omnium diaetetarum institutum, ubi si quis eorum quid deliquisset, apud collegas *εἰσαγγελία* simul et iudicium esset. Quae nimis lepida viri praeter fas ingeniosi commenta mireris C. F. Hermanno imposuisse (*Staatsalt.* § 133, 15). Quis enim qui mente tenet, qualem vim *εἰσαγγελία* in foro Attico habuerit, inauditum illud genus *εἰσαγγελίας* apud diaetetas actae agnoscere animum induxerit? quali de suis ipsos collegis diaetetas quaesivisse atque adeo capitis deminutionem eis irrogasse ne speciem quidem ullam probabilitatis habet, nedum ut talia obtrudere Harpocrationi invito liceat. Nam balbutientem facit Harpocrationem correctio *εἰσαγγελία ἐστὶ κατὰ τῶν διαιτητῶν. εἰ γάρ τις ὑπὸ διαιτητοῦ ἀδικηθείη, ἐξῆν τοῦτον εἰσάγειν πρὸς τοὺς διαιτητάς*: debebat saltem scribere *πρὸς τοὺς ἄλλους διαιτητάς* sive *πρὸς τὸν σύλλογον* (*τὴν ἡμέραν* certe si Bergkio obsequimur) *τῶν διαιτητῶν*. Neque vero tum apte explicaretur, qui fieri potuerit, ut in ultimo anni consessu qui iudices sententiam ferre debebant, eorum magna pars abesse soleret (*εἷς ἦν ὁ μὲν ἦλθε τῶν διαιτητῶν ὁ δ' οὐκ ἦλθε*): quorum ex numero per se haud magno — etiam si largiamur Bergkio ducenos quadragenos fuisse diaetetas annuos: neque enim constat nisi plus centum fuisse — si bona pars tolleretur, quale tandem iudicum collegium relinquebatur? unde admodum ridiculum esset quod orator queritur *οὐδενὸς παρόντος* praesidem diaetetas in suffragia misisse; nec cur *κληρωτὰς* non adscriptos obicere possit, causa idonea est. Verum de Stratone in iudicio heliastarum sententiam latam fuisse haud obscure significat § 91 *ἀλλ' ἐπειδή γε ἠτίμωσεν ὃν ἠβουλήθη καὶ τοῦτ' ἐχαρίσασθε αὐτῷ κτλ.* Ne multa, concidit Bergkii argumentatio omni fundamento destituta. Omnino de 'eisangelia' diaetetarum scrupulus mihi utique restat; vix enim dubito, quin Harpocrationis adnotatio *ἐξῆν τοῦτον εἰσαγγέλλειν πρὸς τοὺς δικαστάς, καὶ ἁλοὺς ἠτιμοῦτο* (sim. Bekk. An. p. 235 v. *διαιτηταί*) ex hac ipsa narratione de Stratone, in qua versamur, coniectando efficta sit. Quod si ita est, explicationem ab illo propositam parum probabilem reddunt verba *φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν διαιτητῶν*. Contra equidem non video quid obstet scholiastae interpretationi, Stratoni *ἐν εὐθύναις* insidias parari: quam probant Meierus (de bon. damn. p. 129. 236. *Die Privatschiedsrichter* etc. p. 14 sq.) et Westermannus (in actis soc. sax. I p. 452). Nam diaetetis rationes reddendas non fuisse affirmat Bergkius, non confirmat: neque cur illi potissimum excepti fuerint ex communi condicione, cui praeter ceteros et pagorum iudices et senatores et ipsi Areopagitae obnoxii erant (vid. Demosth. 24, 112. 22, 38 sq.

cationis eum accusat et logistae praesidi persuadet, ut iudices in suffragia mittat: quibus absens Strato capitis deminutione damnatur. Hinc ipsum autem luce clarius apparet diaetetae post officium peractum statos dies fuisse vel certum temporis spatium constitutum, intra quod praesens expectaret si quis de rationibus accusationem proferret, simulque iudicia in re praesenti parata, in quibus ilico de causa per logistas delata decerneretur. Nam quod Demosthenes Midiae exprobrat in ius vocationem non factam neque antestatorum nomina quod leges iuberent adscripta[1]: speciosius id quam verius dici dudum intellectum est.[2] Etenim si reapse in ius vocatione opus erat, ea omissa certe licuisset Stratoni lege agere et in integrum restitutionem postulare: sed in ius vocari qui adesse officii causa debuit qua lege iussum esse credamus? Nimirum peccavit Strato, cum ultimo die iam liberatus omni accusatoris metu non adesset: quem abusum illo tempore frequentem[3] sciens in suum usum vertit Midias. Unde etsi doli mali crimen, qui hominem repentinae accusationis ignarum absentem pessumdedisset, non effugit: ipsa iudicum sententia iusta rataque mansit.

Iam vero compendiaria ista actio euthynarum ut prorsus diversa est ab ordinaria *γραφῇ περὶ εὐθυνῶν* de qua infra videbimus (p. 22), quae in ius vocatione non carebat: ita proxime accedit ad illud iudicium quo magistratus omnes introductos per logistas accusationem provocare vidimus. Nam idem illud institutum num agnoscendum sit, addubitari potest. Vereor enim, ne subabsurde Midiae crimini vertatur ab oratore, quod in ius vocatione antestatisque abstinuit, si in ipso iudicio logistarum praeconio accusare qui vellet iussus esset. Quamquam dandum aliquid est oratoriae

---

Aesch. 3, 20), explicari possit. — Ceterum verba *τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος ἢ τοῦ σκιροφοριῶνος γιγνομένην* dudum a Schaefero in suspicionem vocata ut glossema satis ineptum merito explosit Westermannus: nec quod Bergkius eis distingui annum ordinarium et intercalarem suspicatur, inde eis multum praesidii parari puto.

1) *πείσας τὸν πρυτανεύοντα* (i. e. logistam, quo de vid. Meierus l. c.) *δοῦναι τὴν ψῆφον, παρὰ πάντας τοὺς νόμους, κλητῆρα οὐδ' ὁντινοῦν ἐπιγραψάμενος, κατηγορῶν ἔρημον, οὐδενὸς παρόντος, ἐκβάλλει καὶ ἀτιμοῖ τὸν διαιτητήν.* cf. § 92 *καὶ τὴν μὲν κατὰ τοῦ διαιτητοῦ γνῶσιν ἣν ἀπρόσκλητον κατεσκεύασεν κτλ.*

2) Platner l. c. I 347. Westermann l. c. p. 455.

3) *εἰς ἣν* (sc. *τὴν τελευταίαν ἡμέραν*) *ὁ μὲν ἦλθε τῶν διαιτητῶν, ὁ δ' οὐκ ἦλθε.* Eodem redit *οὐδενὸς παρόντος* quod sequitur.

calliditati: et quis ex locutione *κλητῆρα οὐδ' ὀντινοῦν ἐπιγραψάμενος* scripta accusatione logistis tradenda vel in hac properata actione opus fuisse persuaderi sibi patiatur? Nolo tamen quidquam praepropere decidere: quidni enim peculiaria quaedam habuerit diaetetarum condicio? certe quod stati dies plures eorum rationibus destinati fuerunt — ni fallor propter maiorem numerum ipsorum ordinesque diversos — id haudquaquam licet ad omnes magistratus pari iure transferre.

Ad hoc igitur genus iudiciorum quae anno muneris exacto summatim fiebant, longe maxima pars accusationum *ἐν εὐθύναις* quae saepenumero memorantur referenda est. In quibus quantopere et factionum duces et sycophantae grassari consueverint, nota res est.[1] Nimirum ut hoc potissimum periculo magistratus ad rem religiose gerendam incitari, ineptos et improbos a magistratu capessendo deterreri oportebat, ita anceps sane et formidolosum telum cum civibus ambitiosis aut nefariis, tum vulgo imperioso et adversus magistratus suspicacissimo prodebatur. Cuius suspicionis et invidiae insignia documenta sunt praecepta sat vetusta quibus magistratui ratione nondum relata neque peregre ire neque in aliam familiam transire neque testamentum facere neque Dis dona ponere licitum erat tamquam obsidi vel oppignerato.[2]

His expositis non iam, opinor, dubium erit, quo spectet ex

---

1) Aesch. in Ctes. 9 sq. Frequenter comparet dictum *ἐν ταῖς εὐθύναις διώκειν, κατηγορεῖν, ὀφλεῖν* similia cf. Lys. 10, 16. 27. Ps. Dem. 58, 14 al. Antipho 6, 43 *Φιλοκράτης γὰρ οὑτοσὶ ἑτέρους τῶν ὑπευθύνων ἔσειε καὶ ἐσυκοφάντει, τούτου δὲ τοῦ βασιλέως, ὃν φασι δεινὰ καὶ σχέτλια εἰργάσθαι, οὐκ ἦλθε κατηγορήσων εἰς τὰς εὐθύνας.* — De Themistocle cf. Plut. Aristid. 4; de Ephialte id. Pericl. 10 — ubi neque argumentis neque specie veri nititur quod Grote V, 494 et Oncken I, 182 existimant *τοὺς τὸν δῆμον ἀδικοῦντας* archontes intellegi in iudiciis iniustam sententiam ferentes —; de Cleone Aristophanes equ. 259 c. schol. 825 c. schol. Adde Iphicratis exemplum Isocr. 15, 129 (vit. X or. p. 836 d, ubi leg. *ἐν ταῖς εὐθύναις*). De tempore posteriore multa afferre possim: satis erit meminisse Demosthenis (18, 249 sq. cf. 25, 37) et Lycurgi, qui de administratione aerarii saepe postulatus numquam causa cecidit: *μηδένα ἀγῶνα ἀλούς, καίτοι πολλῶν κατηγορησάντων* vit. X or. p. 842 e. 843 f. cf. Meier de Lycurgo p. LXXXVII sq. — Oratio in tali iudicio habita una superesse videtur Lysiaca contra Epicratem et collegas eius (27), de qua cf. quae dixi in Quaest. fiscal. iuris Attici p. 18. Hentschel de Lysiae or. Epicratea (Lips. 1874) p. 25.

2) Aesch. in Ctes. 21. Simile est, quod apud Cumanos summi magistratus (*βασιλεῖς*), dum senatus de administratione eorum deliberat et sententiam dicit, in vinculis tenentur (Plut. quaest. graec. 2).

Aristotelis sententia illud a Solone plebi concessum *τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι καὶ εὐθύνειν*. Cui rei quam vim tribuat philosophus, alio loco eiusdem libri perspicuum reddit (pol. 6 (4) 16, 1 p. 1300 b), ubi inter octo iudiciorum genera (*δικαστηρίων εἴδη*) primum ponit *εὐθυντικόν*, eique ut diversa adiungit *ἄλλο δὲ εἴ τίς τι τῶν κοινῶν ἀδικεῖ· ἕτερον ὅσα εἰς τὴν πολιτείαν φέρει κτλ.* Quocirca qui Solonis instituto in comitiis populi ad calculos vocatos esse magistratus contendunt, desinant saltem Aristotelis testimonium in suam partem trahere. Non minus inconsulto eidem ipsi Soloni testimonium denuntiant de sese praedicanti

δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος ὅσσον ἐπαρκεῖ,
τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν οὔτ' ἐπορεξάμενος·

scilicet qui se auxisse plebis dignitatem neget, non potuisse iudicii iuratorum heliastarum auctorem haberi. Quasi vero nullum incrementum attulisse plebi potestas magistratus creandi et rationes ab eis repetendi censenda sit — quae quidem gravissima iura esse Aristoteles confirmat [1]) — praesertim si quis opinatur non selectum numerum civium aetate provectiorum iurisiurandi adeo religione obstrictorum, verum rudem variamque multitudinem vulgi ad comitia convocati de munerum administratione sententiam tulisse. Quin rectius prorsus contrarium ex Solonis versibus efficitur: neque enim fas est premere notionem *οὔτ' ἐπορεξάμενος*, neglegere oppositum *οὔτ' ἀφελών*, et principio *δήμῳ ἔδωκα τόσον κράτος* facile aliquis democratiae Atticae creatorem agnoverit. [2]) Ac differunt inter se *κράτος* et *τιμή*: quorum illud potestatem legitime concessam, hoc dignitatem et honores denotat; quod si tenemus, et Aristotelis argumentationi oppido convenit et aliquantum valet ad legumlatoris consilium illustrandum. Itaque non est cur iuratorum

1) pol. 3 11, 11 p. 1282 a *δοκεῖ γὰρ ἄτοπον εἶναι τὸ μειζόνων εἶναι κυρίους τοὺς φαύλους τῶν ἐπιεικῶν· αἱ δ' εὔθυναι καὶ αἱ τῶν ἀρχῶν αἱρέσεις εἰσὶ μέγιστα.* — Ceterum Plutarchus Sol. 18 *ὃ κατ' ἀρχὰς μὲν οὐδέν, ὕστερον δὲ παμμέγεθες ἐφάνη· τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν διαφόρων ἐνέπιπτεν εἰς τοὺς δικαστάς* — quibus vim facit interpretando Oncken *Athen u. Hellas* I 157 sq.; *Staatsl. d. Aristoteles* II 441. 494 — nihil probat nisi, quod quivis facile concesserit, heliastici iudicii non statim ab initio eandem quam postea potentiam et auctoritatem fuisse: idem vero quod addit *καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις*: noto commento et vel apud recentiores frequenti originem iudiciorum popularium ex provocatione repetit, cuius nulla in iure Attico vestigia sunt.

2) cf. Schoemann in Fleckeiseni annal. t. 93 (1866) p. 587 sq.

heliastarum institutum a Solone abiudicemus. An dicamus postea demum illam potestatem rationes a magistratibus reposcendi a comitiis translatam esse ad iudicum collegium? At vero contraria potius via efflorescens populare imperium Athenis processit: ut quae ex lege uni heliastarum iudicio competerent, magis magisque a contione populi universi usurparentur; non ut ecclesia suam provinciam heliaeae cederet.

§. 3.

In rationibus apud iudices reddendis penes decem logistas erat et introducere magistratus (*εἰσαγωγή*) et iudicio praesidere (*ἡγεμονία δικαστηρίου*)[1]). Quamquam iurisdictio eorum multo latius patebat quam ut intra fines compendiarii illius iudicii, de quo usque adeo egimus, sese contineret. Ac primum ipsi logistae ex officio examinare magistratuum rationes et si quae satisfacere non viderentur, de eis actionem instruere, instructam iudicibus diiudicandam committere debebant[2]). Atqui ob id ipsum ipsos logistas neque accusatores agere fas erat neque alios qui accusarent apponere: quando quidem diversa, immo contraria officia ita praeter rationem praeterque usum fori Attici comprehenderentur[3]). Hinc factum, ut officii partes accurate limitarentur inter duo collegia logistarum et euthynorum denorum. Namque rationes scripto consignatae cum ad logistas relatae essent, euthyni examinandas recipere, materiam inter se dispertiri, singula cum assessoribus accurate excutere et vel approbare subscriptione vel reprobare, repertoria et rerum tradendarum instrumenta conferre, pecunias residuas a magistratu aut ab ipsis qui retinebant exigere[4]), denique si quid notassent denuntiare apud logistas debebant. Certe hoc dubitari non sinunt Patroclidis verba in decreto celeberrimo a. Ol. 93,4/405 ab Andocide servato (1,78): *ὅσων εὔθυναί τινές εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς*

1) Lex. Bekk. Anecd. p. 310. cf. 245 v. *εὐθύνας*. Aesch. 3, 20. 23. Dem. 18, 117 al.

2) Neque enim condemnandi potestatem logistarum collegium habuit: quo de perperam cogitavit C. F. Hermann de iure et auct. magistr. p. 67 sq.

3) Vid. quae exposui in Quaest. fiscal. iuris att. p. 7 sq.

4) Schol. Plat. leg. XII, p. 459 *ἐκπράσσει δὲ ὁ εὔθυνος ὅσα ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, ἢ προστέταχται, ὠφλόν τινες εἰς τὸ δημόσιον.* sim. Pollux VIII 99 cum Boeckhii supplem. *Staatsh.* p. 271 b. Cf. titulum vetustum CIG I 70 = CIA I 2 (de quo vid. infra p. 30 n. 1).

λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθύνων καὶ (ἢ codd.) τῶν παρέδρων, ἢ μήπω εἰσηγμέναι εἰς τὸ δικαστήριον γραφαί τινές εἰσι περὶ τῶν εὐθυνῶν: quibus opportune Boeckhius comparavit praescriptum in titulo a. Ol. 113,4/325 (inscr. rer. nav. XIV b 6): ἐὰν δέ τις μὴ ποήσῃ οἷς ἕκαστα προστέτακται, ἢ ἄρχων ἢ [ἰ]διώτης, κατὰ τόδε τὸ ψήφισμα, ὀφειλέτω ὁ μὴ ποήσας μυρίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ὁ εὔθυνος καὶ οἱ πάρεδροι ἐπάναγκες αὐτῶν καταγιγνωσκόντων ἢ αὐτοὶ ὀφειλόντων. Iam et ex ipso dicendi genere καταγιγνώσκειν τινὸς εὐθύνας, i. e. praeiudicio pronuntiare contra aliquem de ratione reddita [1]), et ex multa imposita euthyno, ni reum agat magistratum aut trierarchum debitorem, consectarium fit, cum res ad logistas redeat, accusatoris partes necessario tribui euthyno. Nam actio in iure quae inde de magistratu appellato apud logistas instituenda erat, sicuti reum ita actorem flagitabat: actor autem solus aderat cuius indicio et auctoritate ipsa causa nitebatur euthynus. Quod etiam magis valet de actione ad iudices heliastas transmittenda: ut in iudicium logistae adducere reum existimandi sint, accusare euthyni. Nimirum tali demum officiorum discriptione cavebatur —

1) de hac notione voc. καταγιγνώσκειν ad magistratus praeiudicium nec vero ad sententiam iudicis referenda cf. Boeckh l. c. Heffter *athen. Gerichtsverf.* p. 377 n. 28. Ceterum idem subest Platonico praecepto de legg. XII 945 A τούτῳ μήτ᾽ οὖν τις στρατηγὸς μήτ᾽ ἄλλος ποτὲ τῶν κατὰ πόλεμον ἀρχόντων ὡς ἀνδρὶ στρατιώτῃ χρήσηται μηδ᾽ εἰς τάξιν κατατάξῃ μηδ᾽ ἡντινοῦν· εἰ δὲ μή, κατευθύνειν αὐτοῦ τὸν εὔθυνον, ἂν μὲν ᾖ τοῦ μεγίστου τιμήματος ὁ τάξας τὸν κακόν, χιλίας κτλ. Ac simile quid praecipere videtur fragmentum inscriptionis antiquae CIA I 34, ubi agitur de pecuniis debitis templo Castorum, v. 7 sq.

ὅστις δ᾽ ἂν λά[βῃ?
τοῖν] Ἀνάκοιν ἢ πρότερον
ἀναγρ]αφόντων αὐτὸν οἱ ἱ[ερῆς
. . τοῖν Ἀ]νάκοιν ἢ εὔθυνος
ὁ]ι πάρεδροι κατ
τοῦ ἐπιβατικοῦ (vel τὸ ἐπιβατικόν)
ἐς τὸ δικαστ[ήριον

etsi ex istis frustulis nil certius expisceris. — In re simillima δικάζεσθαι dicuntur Thasiorum quidem apologi, qui prorsus respondere Atheniensium euthynis videntur, in titulis Thasiorum duobus CIG II 2161: καὶ χιλίους στατῆρας ὀφειλέτω ἱεροὺς Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ, χιλίους δὲ τῇ πόλει, δικασάσθων δὲ οἱ ἀπολόγοι· ἂν δὲ μὴ δικάσωνται, αὐτοὶ ὀφειλόντων, δικασάσθων δὲ ἀπολόγοι οἱ μετὰ τούτους αἱρεθέντες· δικασάσθω δὲ καὶ τῶν ἄλλων ὁ θέλων, καὶ ἂν ὁ ἰδιώτης νικήσῃ, μετεῖναι αὐτῷ τὸ ἥμισυ τῆς καταδίκης· et in Herma Berol. III 237: δικάζεσθαι δὲ τοὺς ἀπολόγους ἢ αὐτοὺς ὀφείλειν.

quod alia ratione evitari haud facile poterat, evitare autem ut iniquum et invidiae obnoxium religioni habebant Athenienses —, ne eidem magistratui in eadem causa et iurisdictio committeretur et accusatio.

Praeter haec autem quae ex officii ratione usu veniebant, ex civibus quoque qui vellet licebat de magistratu munere perfuncto iudicium apud logistas postulare. Itaque in Patroclidis decreto quod modo citavi praeter rationes ab euthynis praeiudicatas etiam accusationes scriptae (*γραφαὶ περὶ εὐθυνῶν*), quae quidem nondum ad iudices delatae sint, deleri iubentur. — Eiusmodi actio fuit Demosthenis contra Aeschinem *παραπρεσβείας*, cuius extant luculentae utriusque orationes in iudicio de rationis relatione habitae, item Lysiae contra Eratosthenem trigintavirum, pariterque causa Polystrati qui senator inter quadringentos pluribus muneribus functus erat [1]): nam Lysiae orationem in Nicomachum, cui *εὐθυνῶν κατηγορία* grammatici inscripserunt, *ἀλογίου* titulum recentiores quidam vindicant, quin in eisangelia habita sit, nullus dubito. Et tales quidem causas logistae prorsus ex usu fori Attici tractabant: anacrisi in iure instituta et paratis omnibus causae instrumentis actionem iudicibus tradebant. Ad illam autem in iure actionem haud scio an revocanda sint verba actoris pro Polystrato § 10: *καὶ οἱ μὲν τὸν βίον ἅπαντα πονηροὶ ὄντες χρηστοὶ ἐν τῷ λογιστηρίῳ γεγένηνται, πείσαντες τοὺς κατηγόρους, οἳ δ ἀεὶ ὑμῖν χρηστοὶ ἦσαν, οὗτοι πονηροί;* ubi *τοὺς κατηγόρους* vix apte diceret euthynos — nec aptius synegoros quae Meieri opinio est [2]): immo delatores perstringit ex accusando quaestum facientes, ad quos in eadem oratione identidem respicit. § 7 *καὶ τοὺς μὲν ἀδικοῦντας οἱ κατήγοροι ἐκκλέπτουσιν ἀργύριον λαμβάνοντες.* § 15 *οἱ δ' ἠδικηκότες ἐκπριάμενοι τοὺς κατηγόρους οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν* (sim. or. 25, 26 al.). Hoc igitur dicit orator magistratus quamvis improbos videri probatos esse in logisterio propterea, quod accusatores pecunia corrupti causam prius quam

1) Nam defensionem Polystrati (or. 20 inter Lysiacas) anno circiter 410 scriptam neque in perduellionis actione (*δήμου καταλύσεως ἀπολογία* Harpocratio v. *Πολύστρατος*), quod plerisque placuit, neque vero in lite *ψευδομαρτυριῶν* contra synegoros intenta quam nuper finxit Roehl *Jahresbericht d. philol. Vereins zu Berlin* 1873. 3. *Lysias* p. 2 sq., verum in iudicio *εὐθυνῶν* habitam esse praeter alia evincit § 6 extr. 10. cf. 17 *ἀλλὰ πάντα μᾶλλον κατηγοροῦσιν ἢ εἰς τὴν ἀρχήν.*

2) *Att. Proc.* p. 218 n. 20. Roehl l. c.

ad iudices veniret deseruerint. Et vero in eo causarum genere quam facile reus variis artibus exceptionibus tergiversationibus tempus trahere et iudicium eludere potuerit, ipsa Aeschinis de legatione actio testatur tertio demum post accusationem anno ad iudices delata. [1])

Iam ista actio de rationibus munerum gestorum, in qua ex constanti usu et ordine omnia peraguntur, quantopere differat ab accusatione in iudicio compendiario de omnibus deinceps magistratibus cuivis concessa, vix est quod moneam. Ordinarium igitur actionis genus praeter illud aut potius post illud admissum esse apparet ita quidem, ut eo uteretur, qui post rationum iudicium summatim factum statis diebus limitatum, licet ipse quoque intra legitimum tempus ei rei haud dubie praescriptum [2]) accusator ad logistas prodiret. Quod quo iure de diaetetis publicis fieri potuisse negaverit Westermannus [3]), immemor ille testimoniorum quae supra attuli, non quaero; ipse autem quod statuit in ius vocatione opus non fuisse nisi actione data in diaetetam, dum munus gereret: satis constat magistratum numquam licuisse ante officii peracti tempus accusari nisi apud populum aut in *ἐπιχειροτονίᾳ* sollemni aut per *εἰσαγγελίαν*; ab utraque autem pariter abhorrere in ius vocationem res docet.

Nec minus accusatio ab euthyno in magistratum reum intenta aliena est a perfunctoria illa actione, eandemque et ipsa non praecedere poterat, sed insequi debebat. Id satis indicat Patroclidis decretum, quo restitui iubentur si qui ab euthynis rei iudicati neque dum iudicum sententiis damnati sint. Omnino euthynorum examen suapte natura non intra breve temporis spatium absolvebatur, sed maioris molis et diligentioris computationis erat; nec nisi omnibus demum inquisitionis instrumentis paratis, tabulis accepti et expensi, quas singuli magistratus perscriptas tradiderant, accurate excussis et inter se collatis, pecuniis residuis exactis atque numeratis, denique calculis subductis sumptuum et redituum annuorum summisque compensatis certa et integra sententia de cuiusvis magistratus administratione pronuntiari poterat. Haud

1) cf. Demosth. de FL. 103 *νῦν δὲ διὰ τὴν ὑμετέραν εὐήθειαν καὶ πρᾳότητα εὐθύνας δίδωσι, καὶ ταύτας ὁπηνίκα βούλεται.*

2) Pollux VIII 45 *ἡ δ' εὔθυνα χρόνον εἶχεν ὡρισμένον, μεθ' ὃν οὐκέτ' ἐξῆν ἐγκαλεῖν.* Non obstat *ἀειλογία* Demosthenis 19, 2. 57, 27. (cf. Harpocr. s. v.)

3) Act. soc. sax. I. (1847) p. 455.

raro accidisse crediderim, ut qui statim post annum muneris exactum iudicum calculis aut probatus esset aut absolutus, idem multo post per euthynum fraudis vel peculatus reus fieret et nova sententia iudicii condemnaretur.

In triplex igitur periculum, qui publico munere functi erant, in rationibus reddendis incurrebant. Namque accusatores et in iudicio (*ἐν εὐθύναις*) evocati appellare et ordinaria actione (*γραφῇ εὐθυνῶν*) persequi, denique euthynus citare magistratum de rationibus parum probatis poterat. Atqui hanc tantam causarum varietatem scimus neque satis semper valuisse ad improbos magistratus coercendos et mirifice favisse delatorum artibus et insidiis. Ac saepius logistarum iudicumve sive neglegentia sive indulgentia magistratus rationum iudicium effugit [1]: fuit etiam ubi logistae ipsi praevaricationis culpam contraherent. Quem ad modum de Timarcho Aeschines 1, 106: *λογιστὴς γὰρ γενόμενος πλεῖστα μὲν τὴν πόλιν ἔβλαψε δῶρα λαμβάνων παρὰ τῶν οὐ δικαίως ἀρξάντων, μάλιστα δ' ἐσυκοφάντησε τῶν ὑπευθύνων τοὺς μηδὲν ἠδικηκότας*: hoc ni fallor indicans illum actiones merito delatos recusasse, delatores improbos adiuvasse. Quamquam quod unus ex logistarum collegio copiam habebat eiusmodi facinora committendi, ita demum explicari poterit, si statuimus ut euthynos negotia ita logistas causas inter se partitos esse. Quae res per se probabilitate non caret: confirmari autem videtur plurali *τὰ λογιστήρια* quo apud Andocidem l. c. et Dinarchum logistarum sedes significatur [2], haud secus atque *τὰ ἀρχεῖα* de curia dicto, quae plura officia capiat.

§. 4.

Iam aliquanto certius, ni fallor, de synegoris ab Aristotele commemoratis iudicare licebit. Qui quod scribit (supra p. 8) *καὶ ἄλλους δέκα συνηγόρους, οἵτινες συνανακρίνουσι τούτοις* (sc. *τοῖς λογισταῖς*) — id nullo negotio referre videmur ad eam *ἀνάκρισιν* qua significari solet actio in iure: ubi examine facto documentis atque

1) Lys. 25, 30: *καὶ ταχέως μὲν ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγένηνται, πολλὰς δ' ἀρχὰς ἄρχοντες οὐδεμιᾶς εὐθύνην* (scr. *εὔθυναν*) *διδόασιν*. cf. Aesch. in Ctes. 9 sq. Dem. de FL 103.

2) Harpocr. *Λογισταί· καὶ λογιστήρια ..... λογιστήρια δ' ἐστὶ τὰ τῶν λογιστῶν ἀρχεῖα, ὡς Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους καὶ Ἀνδοκίδης ἐν τῷ περὶ τῶν μυστηρίων δηλοῦσιν*. Pluralem Meierus (*Att. Proc.* p. 101 n. 97) ad plures eiusdem nominis sedes rettulit, ut v. c. una logistarum, altera euthynorum

testimoniis utrimque depositis magistratus causam cognoscit, vel etiam procedendi locum non esse decidit. Quod valere etiam de logistarum iurisdictione supra dictum est: ut haud inopportune in ea re adiuvari a synegoris videantur. Attamen sunt quae obstent. Nam eius modi *ἀνάκρισις* non nisi in restricto numero causarum usu veniebat: si aut euthynus magistratum accusaret aut alius ex civibus ordinariam actionem intenderet: nam quae statis diebus post munus administratum in iudicio instituebatur, cognitione in iure non indiguisse ipsa Stratonis causa docet absentis et accusati et condemnati. Ut sane synegori provincia periculum sit ne nimis artis finibus circumscribatur. Aristotelis autem loco ita saltem quo modo in lexico transscriptus est nullum omnino discrimen statuitur; immo et quae praecedunt de logistis et quae sequuntur *καὶ οἱ τὰς εὐθύνας διδόντες παρὰ τούτοις ἀνακρίνονται πρῶτον, εἶτα ἐφίενται εἰς τὸ δικαστήριον εἰς ἕνα καὶ πεντακοσίους* ne de reis quidem magistratibus seorsim dicuntur, verum aeque omnes *τοὺς τὰς εὐθύνας διδόντας* complectuntur. Accedit quod *ἀνακρίνονται* (ita enim pro *ἀνακρίνοντες* scribendum) de personis magistratuum dictum parum convenit isti notioni actionis in iure: cum ex fori Attici usu dicendi sit *ἀνακρίνειν τὴν δίκην, τὴν γραφήν.*[1]) Quamquam hoc non nimis urgeam, cum quis lexicographo potius qui ista ex Aristotele hausta in brevius contraxit, tribuere possit pariter atque *αἱροῦνται* quod praecedit.[2])

---

esset: parum id probabiliter. Eo minus enim intellegeretur, cur in logisteriis euthyni magistratum reum agere in Patroclidis decreto dicantur. Et improbat Boeckhius mus. rhen. I 94: is tamen cum sumat singulos logistas cum singulis euthynis binisque assessoribus suo quemque loco rationes repetisse ac decem fuisse *λογιστήρια* secundum tribuum numerum: id nimis quaesitum videtur quam quod persuadendi vim habeat. — Apposite conferri poterit quod in Gambreotarum titulo CIG II 3562 v. 35 erogationis ratio reddi iubetur *τῷ πρώτῳ λογιστηρίῳ*, i. e. primo ordini logistarum.

1) cf. Meier et Schoemann *Att. Proc.* p. 28 n. 622 n. Apud Isaeum quidem 5, 32 *ἀναχρίναντες δ' ἡμᾶς πολλάκις — οἱ διαιτηταί·* ut *ἡμᾶς* sit *τοὺς ἀντιδίκους.* cf. Suidas v. *ἄρχοντες οἱ ἐννέα* et Bekk. Anecd. p. 449 *ἢ μόνον ὑποκρίνουσι* (*ἀναχρίνουσι* Pierson recte) *τοὺς ἀντιδίκους.* Nusquam autem v. *ἀνακρίνειν* alteram utram partem solam respicit.

2) id praeter usum dici et Boeckhius vidit *Staatsh.* I 267b et, quod ad synegoros, comparatio locorum ex eodem fonte derivatorum Lex. rhet. p. 301 et Schol. Aristoph. vesp. 690 evincit *κληρωτούς* Aristotelem dedisse. Notum est hoc discrimen a posterioris aetatis auctoribus saepe neglegi. cf. Paus. I 15 *ᾔρητο*, ubi *κνάμῳ λαχών* Herod. VI 109. Plut. Arist. 22 al. Schoemann *Gr. Alt.* I[3] 358 et in Fleckeiseni annal. a. 1872 p. 158 sq. — Similiter de logistis schol. Aeschinis

At praestat opinor alia explicandi via. Nimirum cum iam extra dubitationem positum sit omnibus omnino magistratibus iudicii pericula in rationibus reddendis subeunda fuisse: eam in partem confidenter dico accipienda esse verba *καὶ οἱ τὰς εὐθύνας διδόντες — εἶτα ἐφίενται εἰς τὸ δικαστήριον εἰς ἕνα καὶ φ.* Itaque quod logistae et synegori *ἀνακρίνειν* dicuntur magistratus, nihil aliud est nisi examen ab illis institutum quo in res ab unoquoque magistratu gestas pecuniasque acceptas et erogatas inquirerent ante quam hominem in iudicium deducerent [1]). Atque hoc ut ita se habere pro certo mihi sit, in primis facit comparatio *δοκιμασίας*, quae quanta affinitate coniuncta sit cum *εὐθύναις*, abunde demonstrasse mihi videor. Ibi enim vocabulorum *ἀνακρίνειν* (*τὸν ἄρχοντα*), *ἀνάκρισις* proprius est usus de eo examine quod in probatione magistratuum institui publice solebat prius quam iudices suffragia ferrent. [2]) In iudicio thesmothetae de vita rebusque privatis eius qui recens electus erat, quaerebant; ille respondebat de singulis, documenta quoque si quo opus esset adhibebat. Vides quantopere ex huius instituti ratione commendetur similis *ἀνάκρισις* post officium exhaustum apud logistas agenda. [3]) Inter hanc

---

Tim. 1 *ἦσαν δ' ἐπὶ τούτων ἠρημένοι λογισταὶ δέκα τὸν ἀριθμόν.* — Neque vero sequendus Meierus qui ex verbo *αἱροῦνται* efficiat suffragiis logistas creatos esse idemque concedat lexicographo Seg. p. 276 et Etymologo M. p. 569 posteriore aetate sorte factos (Fragm. lex. rhet. p. XXII n. Id. Schoemann *Gr. Alt.* I[3] 432).

1) Suffragatur illud *ἐφίενται*: quo verbo proprie utuntur de re ab alio tribunali ad aliud transferenda. Ceterum iudices unum et quingentos — quae decuria una est — ab ipsis logistis sorte ductos esse grammatici asserunt. cf. Lex. Seg. p. 245 al. apud Boeckhium Mus. rh. I 74. *Staatsh.* I 270 [b], qui de ea re dubitare videtur (recte defendit Meier *Att. Pr.* p. 134).

2) cf. Pollux VIII 86. Lex. Cantabr. p. 344 Nauck v. *Θεσμοθετῶν ἀνάκρισις.* Heffter *Gerichtsverf.* p. 368. Meier *Att. Pr.* p. 203. Atque in *δοκιμασίᾳ* quoque numerus ordinarius quingenorum iudicum fuisse videtur; certe ubi agitur de civitate alicui danda, praecipitur *τοὺς δὲ θεσμοθέτας ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ εἰς τοὺς πεντακοσίους δικαστὰς εἰσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν*: Rangabé *ant. Hell.* n. 493. cf. 523.

3) Pro exemplo esse quodammodo potest Demosth. de FL. 82: *τοῦτο γάρ εἰσι πρεσβείας εὔθυναι· τί πέπρακται; τί ἀπήγγειλας; εἰ μὲν ἀληθῆ, σῴζου· εἰ δὲ ψευδῆ, δίκην δός.* Ib. § 4 *σκέψασθε παρ' ὑμῖν αὐτοῖς, ὦ ἄ. ἄ., καὶ λογίσασθε, τίνων προσήκει τῇ πόλει λόγον παρὰ πρεσβευτοῦ λαβεῖν· πρῶτον μὲν τοίνυν ὧν ἀπήγγειλε, δεύτερον δὲ ὧν ἔπεισε* (*ἔπραξε* Anon. Seg.), *τρίτον δὲ ὧν προσετάξατε αὐτῷ κτλ.* cf. Anon. Seg. p. 185. 201.

autem et illam id erat discriminis, quod de magistratum inituris statim in iudicio examen fiebat — nisi quod novem archontum et assessorum probatio et in senatu et in iudicio agebatur —: magistratu perfuncti prius separatim examinabantur apud logistas, deinde in iudicium mittebantur. Neque enim opportune fieri poterat, ut quae longiore expositione variisque pro officiorum varietate probationibus et documentis egebant, in ea logistae imparati extemplo apud iudices inquirerent.

Praecedebat igitur compendiariam iudicum *κρίσιν* compendiaria et ipsa logistarum *ἀνάκρισις*: nec satis erat magistratui rationes scriptas rettulisse ad logistas [1]), verum praesentem illis de rerum administratione quaerentibus respondere oportebat. Id ipsum exprimi videtur Aristotelis verbis *παρ' οἷς διαλογίζονται πᾶσαι αἱ ἀρχαὶ τά τε λήμματα καὶ τὰς γεγενημένας δαπάνας* [2]): idem

1) Legitima de ea re formula est *λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστάς*. Aesch. 3, 20 — *πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς* ib. 15, ubi scribae mentio neque ad *ἐπιχειροτονίαν* (cf. Lys. 30, 5) neque cum Schoemanno opusc. I 300 ad contrascriptoris (*ἀντιγραφέως*) relationem, verum ad tabularii publici custodiam referendum est (cf. inscriptiones statim citandas et supra p. 14 n. 4). Brevius dicitur *λόγον καὶ εὐθύνας δοῦναι τῆς ἀρχῆς* Aesch. 3, 11. 12. 24. al.; *λόγον* s. *λόγους ἀποδοῦναι* s. *ἀποφέρειν πρὸς τοὺς λογιστάς* ib. 21, 22; *εὐθύνας δοῦναι* Lys. 30, 4. 5. CIA I 29 etc. (cf. CIA I 32 *καὶ λόγον διδόντων τῶν τε ὄντων χρημάτων καὶ τῶν προσιόντων τοῖς θεοῖς καὶ ἐάν τι ἀπαναλίσκηται κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν πρὸς τοὺς λογιστὰς καὶ εὐθύνας διδόντων, καὶ ἐκ Παναθηναίων ἐς Παναθήναια τὸ λόγον διδόντων . . .* in titulis duobus *Φιλίστωρ* II 132. III 150: *καὶ περὶ ἁπάντων ὧν ᾠκονόμηκεν ἀπενήνοχεν λόγους εἰς τὸ μητρῷον καὶ πρὸς τοὺς λογιστὰς καὶ τὰς εὐθύνας ἔδωκεν*· sim. de scriba collegii *θιασωτῶν* in inscriptione *arch. Anz.* 1865 p. 109 *καὶ τοὺς λογισμοὺς ἀπέδωκεν ὀρθῶς καὶ δικαίως καὶ εὐθύνας ἔδωκεν*). In Lysiae orat. adv. Nicomachum § 5 olim conieci et probavi editoribus scribendum esse *ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι τῆς αὑτῶν ἀρχῆς κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀποφέρουσι* (pro *ἀναφέρουσι*): idem corrigendum in lexico Cantabr. p. 332 Nauck. v. *ἀλογίου δίκη· ὅταν τινὲς — μὴ ὦσιν τοὺς λόγους ἀπενηνοχότες* (*ἀνενηνοχότες* cod.) *τοῖς δικασταῖς*. cf. praeter titulos duos modo citatos Aesch. 3, 22 *καὶ τοῦτον ἀποφέρειν κελεύει λόγον πρὸς τοὺς λογιστάς· καὶ πῶς — ἀποίσει λόγον τῇ πόλει;* Lex. Bekk. p. 276 *λογισταὶ — ἐφ' ὧν λόγον ἀπέφερον τῶν διῳκημένων*. Dem. 27, 20. 34. — De diversa notione coniunctorum vocabulorum *λόγος, εὔθυναι* recte Boeckhius iudicat. mus. rh. I 73. *Staatsh.* I 268 c; errat Meier frg. lex. rhet. p. XXIII n. — Ceterum de actione rationum reddendarum simplex vox *εὔθυναι* (raro *εὔθυνα*, ut Aesch. 3, 17. Lys. 25, 30. 10, 27, ubi corr. *εὔθυναν* cf. 11, 9) sola usurpatur: eaque omnino in usu communi est.

2) cf. Dem. 36, 60. 52, 3. Notandus *διαλογισμός* in Aegypti administratione

vero luculenter confirmatur eiusdem testimonio apud Harpocrationem, unde comperimur logistas rationes officiorum exigere intra proximos triginta diés post magistratum depositum.[1]) Quod sine idonea ratione vulgo confunditur cum tempore lege praestituto post quod logistis non iam licuerit accusationes adversus magistratum a privatis hominibus delatas recipere (supra p. 23 n. 2). Atque unum saltem exemplum praesto est quod testi fidem addat. Namque in populiscitis saeculi secundi quae supersunt in epheborum honorem post annum studiorum exactum decretis cosmeta epheborum curator non una cum adulescentibus magistrisque eorum, sed proxima demum prytania et mense sequenti laude et corona ornatur: non aliam ob causam opinor, quam quia ex lege rationes ei in iudicio prius reddendae erant quam corona donare munere perfunctum liceret.[2]) Itaque sicut magistratuum probationi ultimus mensis anni civilis destinatus erat, post quem munus statim ingrederentur: ita consentaneum erat rationum relationem intra triginta dies post honorem depositum — qui longe plurimis magistratibus unus idemque mensis Hecatombaeon erat — et logistarum examini et iudicum calculis comprobandam subici. Neque ultra hoc breve spatium temporis durare existimandae sunt custodiae

---

a strategis ad praefectum relatus in edicto Ti. Iulii Alexandri CIG III 4957 v. 36. 38 etc.

1) Harpocr. v. *λογισταί . . . εἰσὶ δὲ τὸν ἀριθμὸν δέκα, οἳ τὰς εὐθύνας τῶν διῳκημένων ἐκλογίζονται ἐν ἡμέραις τριάκοντα, ὅταν τὰς ἀρχὰς ἀποθῶνται οἱ ἄρχοντες.*

2) cf. Aesch. 3, 11 sq. *Ἀρχ. Ἐφ.* n. 220, 19. *Φιλίστωρ* I 190 *A* 13. *B* 13. *Γ* 14. — In uno quidem titulo *Ἐφ. ἀρχαιολ.* n. 4104 eodem die cum ephebis cosmeta coronam accipit: at ibi v. 89 *ἐποιήσατο . . . . . αὐτῶν καὶ τὸν ἀπολογισμὸν ἐν τῇ βουλῇ ὑπὲρ τῶν κατ[ὰ τὴν ἀρχήν* satis indicant eum honore affici ante rationes in iudicio rite redditas (vid. n. 4097 v. 41. 4098 v. 87. 4107 v. 61; cf. CIG I 108, 18. *καὶ περὶ τούτων πάντων ἀπολελόγισται τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, δέδωκε δὲ καὶ τὰς εὐθύνας*). In populiscito n. 4107 nona demum prytania, sexto mense, in quinto decreto *Φιλίστ.* I 288 prytania quinta, tertio mense post annum studiorum exactum ephebosque corona decoratos cosmetae laudes et ornamenta decernuntur: causa retardationis nulla perspicitur. — Contra in antiquioribus plebiscitis honorariis tertii saeculi (Eustratiades *ἔκθεσις τοῦ ἑλλην. ἐκπαιδευτηρίου* 1856; Cumanudes *Ἀθήναιον* II 487; add. Rangabé *ant. Hell.* n. 993) una laudatione cum magistris epheborum comprehenditur cosmeta, rationum relationis nulla mentione facta: ut hoc munus fere suspicer illo quidem tempore nondum in magistratuum publicorum numero fuisse.

illae quibus ex lege magistratum tamquam reum vel suspectum circumdatum fuisse ante rationes relatas vidimus (p. 18).

Iam vero in illo examine de magistratibus omnibus instituendo praeter logistas synegori quoque decem versabantur, sorte et ipsi electi, qui una cum logistis cognoscerent (*οἵτινες συναναχρίνουσι τούτοις*). Nam in eo Aristotelis testimonio acquiescendum erit nec quidquam ultra circumspiciendum: cum praesertim qui nobis exhibentur sive logistarum assessores sive publici accusatores, parum ab ipsa re commendationis habeant.

Quamquam huc revocandum esse dixerit quispiam Ciceronis locum, neglectum quidem ab eis qui de his institutis rationum reddendarum quaesiverunt; qui sub finem tertii libri de legibus (§ 47) haec scripsit: *Apud eosdem* (sc. censores) *qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint, deque iis censores praeiudicent. Hoc in Graecia fit publice constitutis accusatoribus; qui quidem graves esse non possunt, nisi sunt voluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque exponi censoribus, integram tamen legi, accusatori iudicioque servari.* Atqui his verbis si quidem Athenienses respiciuntur, adeo vera falsis mixta vides, ut ne accusatores quidem publice constituti num *συνήγοροι* illi ab oratore indicentur — quem ad modum Bakius accipit [1]) — an omnino magistratus quidam *ἐν εὐθύναις* accusantes, pro explorato habere liceat. Certe Athenienses neque suis censoribus carebant, logistis dico, et voluntariis accusatoribus quam qui maxime abundabant, quos adeo evocare in iudicio mos esset: unde nihili est discrimen ab oratore statutum.

Utique igitur restat quaestio, in rationum examine quem in modum synegori cum logistis provinciam partiti sint, quisque omnino ordo inquirendi fuerit. Quae quidem periculum esset ut solvi umquam posset, ni insperato fortunae beneficio contigisset, ut ex titulo insigni paucos abhinc menses publicato aliqua illi quoque lux affunderetur. Repertum est prope Marcopulum pagum Atticae fragmentum satis amplum decreti de demi cuiusdam — Myrrhinusiorum esse coniciunt ex loci vicinia — sumptibus et sacrificiis administrandis, quod qui edidit St. Cumanudes [2]), vir sobrii et

1) Quamquam is diversissima miscet ad Dinarchi locum adv. Demosth. 58 provocans. De euthynis ipsis Goerenzius cogitavit; idque non male.

2) in ephemeride *Ἀθήναιον* III 687 sq. (m. april. 1875).

spectati iudicii, paucis fere decenniis post finem quinti saeculi perscriptum censet. Fuit igitur aetate suppar simili Halaeensium decreto a. 368/7 a. Chr. CIG I 88 [3]); eiusdem generis vetustissimum est Scambonidarum edictum CIA I 2. Atque — ut cetera quaecumque ex novo documento comperimus quamvis varia et notabilia in praesens missa faciam — priore parte fragmenti de rationibus per demarchum referendis copiosius praecipitur: ubi magistratibus populi in rationes ex officio inquisituris iusiurandum singillatim denuntiatur hisce verbis (v. 9 sq.):

. . . . κ]αὶ ἐάν μ[οι δ]οκῇ ἀδικεῖν, κα[τευ]θυν[ῶ] α[ὐ]τοῦ [ἐπ]ι[τίμιον], οὗ [ἄ]ν μοι δο|κῇ ἄξιον εἶναι τὸ ἀδί[κ]ημα· [νὴ τ]ὸ[ν Δία νὴ τ]ὸ[ν Ἀ]πόλλω νὴ τὴ[ν| Δ]ήμητρα, εὐορ[κ]οῦντι μ[έν μ]οι πολ[λ]ὰ καὶ ἀγαθά, εἰ δ' ἐπιορκο|[ί]ην τἀναντία . [1]) *ὀμνύναι δ[ὲ] τὸν ὅρκον καὶ τὸν λογιστὴν λογι|εῖσθαι ἃ ἄν μοι δοκῇ ἀν[ηλ]ωκέναι . κ[αὶ] το[ὺ]ς σ[υν]ηγόρους [συ|]νηγορήσειν τῷ δήμῳ τ[ὰ] δίκαια καὶ ψ[η]φιεῖσθαι ἃ ἄν μοι δ|οκῇ δικαιότατα εἶναι . τ[ῶ]ι δὲ εὐθύ[ν]ῳ μὴ ἐξεῖναι ἐξελεῖ|ν τὴν*

---

3) Fröhner *les inscriptions grecques du Louvre* n. 95 p. 183.

1) Videntur haec superesse ex euthyni et assessorum formula iurisiurandi, quae omitti non poterat: unde vestigia nimis incerta v. 9—11 probabiliter reconcinnasse mihi videor. Nam Cumanudes haec ita enotavit: .... *ΑΙΕΔΝΙ|. Ϝ[Δ]ΟΚΕΙ ΑΔΙΚΕΙΝΚΑ\. ΟΥΝΜΑΙΤΟΥ . . Ι . . . . . ΟΥ[Δ]ΝΜΟΙΔΟ|ΚΕΙΑΞΙΟΝ ΕΙΝΑΙΤΟΑΔΙ[Κ]ΗΜΑΙ . . ΟΔΑ . . . Π. ΟΥ. ΠΟΑΔΩΝΗΤΗΜ|. ΗΜΕΤΡΑ ΕΥΟΡΧΟΥΝΤΙ* (sic) *Μ[ΕΝ]ΠΟΙ* (sic) *ΠΟΛ[Δ]ΑΚΑΙΑΓΑΘΑΕΙΔΕΠΙΟΡΚΟ|[Ι] ΗΝΤΑΝΑΝΤΙΑ* (ubi *εἴη* ante *εἰ δ' ἐπιορκοίην* aegre desideratur. In sequentibus idem ex lapide dedit v. 14. 16. 17. *ΔΟΚΕΙ* et *Δ[Ο]ΞΕΙ*, v. 15 *[ΣΥ]ΝΕΓΟΡΗΣΕΙΝ*, v. 17 sq. *ΤΩΜΑΙΡ[Ε]ΘΕΜΤΩΝ*). — In aequali decreto Halaeensium tantummodo euthynus et assessores eius sacramento adigi iubentur: *ἐξορκούτω [δὲ ὁ δήμαρχος τὸν εὔ]θυνον καὶ τοὺς πα[ρέδρους κατ]ὰ τὸ ἐ|ν . . . . . γεγ]ραμμένον*: inepte enim *καὶ τοὺς πα[ρ' αὐτῷ λογιστὰς]* supplet Froehnerus. In Scambonidarum sciti reliquiis euthyni iusiurandum non comparet: quaestoribus (*ταμίαις*) sive quibusdam sacrorum curatoribus iurisiurandi formula praecipitur *καὶ τὰ κοιν[ὰ] τὰ Σκαμβωνιδῶν σωῶ καὶ ἀποδώσω παρὰ τὸν εὔθυνον τὸ καθῆκον·* pergitur *ταῦτα ἐπομνύνα[ι] τοὺς τρεῖ[ς] θεούς* (eosdem ni fallor qui diserte appellantur in altero titulo; cf. CIA I 9, 15). *ὅ[τ]ι δ' ἂν τῶ[ν] κοινῶν μὴ ἀποδιδῶσιν παρὰ τὸν εὔθ[υ]νο[ν . . .* Non minus memorabilis est antiquus iste ritus quo magistratus populi per demarchum iureiurando adiguntur, quam quod ex Scambonidarum scito certa pecunia (*τὸ καθῆκον*), de qua aliunde non constat, ex publico demi solvenda reddi euthyno ipsi iubetur. Nam quae de euthyno nescio quo demotico Boeckhius suspicatus erat repetita a C. F. Hermanno *Staatsalt.* § 154, 6 et Schoemanno Ant. iur. publ. p. 204. *Gr. Alt.* I[3] 390, ipse tacito abiecit *Staatsh.* I 268 d.

εὔθυναν ἐὰν μὴ τοῖς [π]λέοσιν δ[ό]ξῃ τῶν δέκα τῶν αἱρ[ε]|θέ[ν]των διαψηφιζομένοις [κ]ρύβδην· τὴν δὲ ψῆφον διδότω [ὁ ἔ|ν]ος δήμαρχος [κ]αὶ ἐξορκούτω αὐτοὺς ἐναντίον τῶν δημο[τῶ|ν] . . . .

In his pergratum accidit, quod suae cuique ex magistratibus de quibus loquimur ac certae partes tribuuntur: unde iam nulla dubitatio de ipsorum munerum diversitate relinquitur. Atque quod logistae computandi officium (*λογιεῖσθαι*), euthyno notandi delictum atque eximendi de tabulis rationem (*ἐξελεῖν τὴν εὔθυναν*) iniunctum fertur, congruit eis quae de utriusque muneris circumscriptione supra exposuimus. At vero de synegoris prorsus singularia edocemur. Illi enim plurali numero in censum vocantur ut collegium simul acturi, cum ex logistis et euthynis unus tantum rationibus magistratus examinandis adhibeatur [1]): eisdemque non solum ut populi nomine rem agant praecipitur (*συνηγορήσειν τῷ δήμῳ*) sed — quod gravissimum et sine exemplo est —, ut adeo suffragia ipsi ferant (*ψηφιεῖσθαι*).

Itaque iam in dubium vocari nequit, quin *ἀνάκρισις* illa de magistratuum rationibus a logistis una cum synegoris instituta veri praeiudicii formam habuerit: in quo logista praeses materiam a semet excussam proponeret, synegori de rebus prolatis consilia inirent et disceptarent, denique sententiis dictis praeiudicarent. Ea autem sententia mox ad iudicum quingentorum collegium transmittebatur, quod praeside logista, referente fortasse uno ex synegoris eam aut suis suffragiis confirmaret aut reiceret vel immutaret. Utique enim synegororum praeiudicium iudicum iuratorum calculos expectabat donec iudicium ratum fieret (supra p. 26 n. 1), haud secus atque senatus consultum (*προβούλευμα*) contioni committitur comprobandum quo populiscitum (*ψήφισμα*) evadat. Ac videtur illud institutum ipsum quoque ad augendam rerum publicarum securitatem repertum esse: certe praeterea ex iure publico Atheniensium quod cum eo conferam nullum in promptu est.

Apparet synegoros decem suam partem habuisse eamque haud nullius momenti in tota definitione satis implicata officiorum

---

1) Vid. supra p. 24. Contra *συναγωγῆς τῶν λογιστῶν* mentio est CIA I 32 (infra p. 33). — Similem ordinem Platonici quoque euthyni sequi videntur legg. XII p. 946 E: *καὶ τὰ μὲν ἰδίᾳ ἕκαστος, τὰ δὲ καὶ κοινῇ μετ' ἀλλήλων κρίναντες τοὺς ἄρξαντας τῇ πόλει ἀποφηνάντων, εἰς τὴν ἀγορὰν γράμματα καταθέντες περὶ ἑκάστης ἀρχῆς, ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίνειν κατὰ τὴν τῶν εὐθύνων γνώμην* (cf. 945 A).

quibus rationum publice reposcendarum cura erat. *Συνήγοροι* autem appellantur non ut logistarum advocati — quomodo intellexisse sane videtur auctor lexici Seg. l. c. *οἱ τοῖς λογισταῖς ἐβοήθουν* interpretatus — sed ut civitatis, quem ad modum *συνηγορεῖν τῷ δήμῳ* dicuntur in titulo modo allato: qui dum magistratuum rationes examinant, populi causam agunt. Nam cum consentaneum est non aliter comparatum esse hoc nomen atque syndicorum fiscalium de quibus nuper egi [1]), tum confirmatur ista ratio alio Aristotelis loco. Qui de magistratibus in universum disputans in politicorum libro 7 (6), 8, 10 p. 1322 b haec profert: *ἐπεὶ δ' ἔνιαι τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμὸν καὶ προσευθυνοῦσαν, αὐτὴν μηθὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον· καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστάς, οἱ δ' ἐξεταστάς, οἱ δὲ συνηγόρους.* Quo loco ne cogitari quidem potest de publicis in actione rationum referendarum oratoribus: sed prorsus ex aequo cum logistis euthynis exetastis synegori numerantur inter magistratus ad rationes repetendas constitutos. Atque in his quoque Athenienses inprimis ab Aristotele respici ea fidem faciunt quae de eisdem idem in libro de Atheniensium republica exposuit. Quamquam non nego talia officiorum nomina apud alios quoque in usu fuisse [2]): aliorum certe fuerunt *ἐξεταστα[ί]*, quales comparent in Smyrnaeorum Erythraeorum Halicarnassensium titulis. [3])

Ceterum ipsa appellatione synegori satis indicatur, quantum Athenienses ei muneri tribuerint. Nimirum ex quo in sapienti administratione aerarii vectigalium redituum publicorum rei publicae nervos atque artus constare didicerat, populus pecuniarum publicarum acerrimum custodem et exactorem sese praebebat; gra-

1) Quaestiones fiscales iuris Attici p. 6.

2) Ut logistae inveniuntur Issae in insula CIG II 1834: *ἀναγράψαι δ[ὲ καὶ τοὺς] λογιστὰς τὸ δόγμα τοῦτο ἐς τ[ὸν λογισ]μὸν τὸν λογιστικόν·* item apud Tenios logistae tres I n. 202—206 (cf. II p. 250); de Gambreotis vid. supra p. 25 n. Iliensium memoratur *ἐκλογιστής* CIG II 3599. — Alieni autem et collegiorum logistae n. 2525 b, 54. 2529. 2741. 2933 etc., et logistae urbium curatores imperatorii de quibus vid. Marquardt *röm. Staatsverw.* I 487.

3) CIG II 3137, 48 sq. 88. E. Curtius anecd. Delph. n. 68. 69. CIG II 2656, 32. Lampsacenorum sunt *ἑταστα[ί]* 3641 b, 42. Eiusdem generis videntur esse *ἑρευτα[ί]* (i. e. *ἑρευνητα[ί]*; traditur *EIEYTAI*) inscr. Dreri oppidi Cretensis Philol. IX 694 col. IV.

vissimum scelus iudicabat, si quis quid illarum pecuniarum sive magistratus sive privatus retinuisse coargueretur: ut populi vice agere recte diceretur qui de magistratu rationem referente officii causa praeiudicaret.

§ 5.

Iam quae hucusque dixi, si modo probabilia reddidi, ad alium nodum expediendum haud levis, opinor, momenti erunt. Nam controversia quae olim Hermannum inter et Boeckhium agitata est de logistis decemviris et trigintaviris, ne nunc quidem omni ex parte composita videtur. Nota res est, de qua non proferam nisi quae in rem meam faciant. Atque collegium triginta logistarum extat in Calliae decreto a. Ol. 86, 2/3 a. C. 435/4 quo pecuniae sacrae debitae reddi templis Deorum, logistae autem computare eas iubentur: *λογισάσθων δὲ [οἱ λ]ογισταὶ οἱ τριάκοντα, οἵπερ νῦν, τὰ ὀφειλόμενα τοῖς θεοῖς ἀκρ[ιβῶ]ς· συναγωγῆς δὲ τῶλλογιστῶν ἡ βουλὴ αὐτοκράτωρ ἔστω.*[1]) A quibus non diversi *οἱ τριάκοντα* indicibus tributorum qui vocari solent inscripti, qui sexagesimam tributorum Minervae sacram in numeros distribuendam ipsosque indices conficiendos curant.[2]) Atqui decem logistas solos norunt grammatici eorumque fere unus omnium auctor Aristoteles. Quam discrepantiam tollere frustra temptabat Meierus cum nihil commune esse decemviris cum trigintaviris suspicaretur[3]): nec vero felicius res cessit G. Hermanno Roseo Anglo Rangabeo Graeco, cum decem logistis aut viginti assessores — qui logistarum nulli sunt — aut decem euthynos totidemque assessores aut praeter euthynos apodectas decem adnumerarent.[4]) Restabat igitur quod Boeckhio placuit: numerum logistarum posteriore tempore deminutum esse, cum aliquando ante Euclidem archontem triginta virorum collegium extitisset, scilicet eo demum anno conditum, a quo in indicum illorum inscriptionibus magistratus numerari coepti sunt.[5])

---

1) CIG I 76 = CIA I 32. Boeckh *Staatsh.* II 52. Eidem *λογισταί* simpliciter dicuntur CIG I 149 = CIA I 189b (Rose inscr. vet. p. 141 sq.). CIA I 273 (Rangabé *ant. Hell.* 116. 117). Cf. Boeckh in Comm. acad. Berol. a. 1846 p. 370 sq. et Act. acad. Berol. a. 1853 p. 557 sq.

2) CIA I 226. 228. Boeckh *Staatsh.* II 584. Cf. Koehler in Comm. acad. Berol. a. 1869 p. 105 sq.

3) Meier *Att. Pr.* p. 101 n. 99.

4) De his vid. Boeckh mus. rhen. I 83. *Staatsh.* II 583.

5) Scr. min. VII 305 n. *Staatsh.* I 266. II 596 sq.

Quem annum cum nunc quidem certo constet fuisse Ol. 81, 3/454, fidem addere illi opinioni videbatur Sauppii sagax sane ratiocinatio: qui eodem illo anno thesaurum sociorum Delo Athenas transportatum esse demonstravit; inde autem factum collegit, ut novum logistarum collegium constitueretur. [1]) Nimirum ita numerus logistarum auctus propter plura negotia suscipienda cur postea imminutus sit post sociorum defectum, facilius explicari videtur. Verum hanc sententiam qui nuper universam tributorum rationem foederisque Deliaci historiam luculenter persecutus est Ulricus Koehler gravibus argumentis impugnavit ita quidem, ut non inde ab eo tempore, quo conditum esset collegium, sed quo curam sexagesimae sacrae ex tributis computandae suscepisset thesauro Athenas translato, numerari triginta virum annos ostenderet. [2]) Neque enim qui Boeckhio offensionis causam praebuit, ut inde potissimum de collegio recens atque ad tempus constituto cogitaret, dicendi modus *οἱ λογισταὶ οἱ τριάκοντα οἵπερ νῦν*, in eo est quod haereas. Ubi *οἵπερ νῦν* non cum illo vertendum 'qui hodie extant', sed 'qui nunc ipsum eo munere funguntur', pariter atque in eis quae in eodem titulo sequuntur: *παρὰ δὲ τῶν νῦν ταμιῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν καὶ τῶν ἱεροποιῶν τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς οἳ νῦν διαχειρίζου[σι]ν* — qualem notionem illo quoque loco facili negotio suppleas. Nam vocabulo quod est *νῦν* in tali loquendi usu non praeterito praesens tempus opponitur, sed futuro, seu potius certum incerto: ut *οἱ νῦν ταμίαι, οἱ νῦν ἄρχοντες* respondeant *τοῖς ἀεὶ ταμίαις, τοῖς ἀεὶ ἄρχουσιν*. Omnino autem quaecumque ad hanc magistratuum probandorum rationumque referendarum causam pertinent, vetustioris aetatis haud paucas notas prae se ferre supra significavi. Atque eiusmodi praesidia qualia sunt *δοκιμασία* et *εὔθυναι* tum maxime statui par erat, ex quo magistratus sorte creari coepti sunt: ut Clisthenis tempori rectius quam Periclis logistarum collegium institutum tribuamus. Immo ex ipso numero addito *οἱ τριάκοντα* antiquioris originis indicium Koehlerus agnoscit comparato exemplo ephetarum vetustissimi sane collegii. [3]) Quamquam ista ratione pristinus numerus cur postmodo imminutus sit idque

1) Act. soc. Goetting. a. 1865 p. 5 etc.

2) Koehler *zur Gesch. des delisch-attischen Bundes* in Comm. Acad. Berol. a. 1869 p. 107.

3) *οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς οἱ ἐφέται* inscr. Attica a Koehlero edita (Hermes II 29 sq.) = CIA I 61.

ita, ut tertia tantum pars relinqueretur, eius rei neque causa neque explicatio idonea cogitari potest: cum praesertim tempore procedente et libertate communi in licentiam depravata augeri logistarum provinciam oporteret, nedum contrahi liceret.

Iam vero cum dubitari nequeat, quin praeter denos logistas ac denos euthynos synegori quoque deni fuerint suppari dignitate, ex singulis tribubus singuli quotannis sorte creati: quid impedit, quominus triginta homines eidem omnes officio rationum publicarum destinatos una appellatione triginta virorum (*οἱ τριάκοντα*) comprehendi dicamus? Cui quod in Calliae decreto accuratior definitio additur *οἱ λογισταί*, non magis offendit nomen a potiori ut aiunt repetitum quam quod *λογιστήρια* nominari vidimus, in quibus euthyni quoque et synegori sedem haberent. Scilicet in omnibus quaecumque ad populi iudicium ferenda erant, iurisdictionem logistae soli ex officii ratione habebant: neque tamen inde sequitur subiunctos eis fuisse euthynos et synegoros tamquam minoris auctoritatis, quos pari loco ponit Aristoteles: sed potius provincias necessario divisas, quae nihilo minus ad idem caput redeant. Triginta virum autem quod post Euclidem archontem nulla iam mentio est, sed sicubi comparent — sunt enim rara omnino exempla — simpliciter aut logistae aut euthyni aut synegori memorantur, non mirum, si reputamus, quantum odium isti appellationi triginta viri qui post bellum Peloponnesiacum Athenis dominabantur conflaverint. Si quidem sola nominis invidia factum esse Aristoteles tradit, ut qui ante triginta erant pagorum iudices, quadraginta viri (*οἱ τεσσαράκοντα*) postea constituerentur.[1])

1) Pollux VIII 100 *οἱ δὲ τετταράκοντα πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα, οἳ περιόντες κατὰ δήμους τὰ μέχρι δραχμῶν δέκα ἐδίκαζον — μετὰ δὲ τὴν τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν μίσει τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ τριάκοντα τετταράκοντα ἐγένοντο.* Harpocratio s. v. *Κατὰ δήμους δικαστὰς .... περὶ τῶν κατὰ δήμους δικαστῶν, ὡς πρότερον μὲν ἦσαν λ΄ καὶ κατὰ δήμους περιόντες ἐδίκαζον, εἶτα ἐγένοντο μ΄, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* Cf. schol ad Aesch. Tim. § 39 *οὕτω μέντοι ἐμίσησεν ὁ δῆμος τοὺς λ΄, ὥστε καὶ πρὸς τὴν ὀνομασίαν τοῦ ἀριθμοῦ δυσχεραίνειν.*

DE LOCIS NONNULLIS

AD AESCHYLI VITAM

ET AD HISTORIAM TRAGOEDIAE GRAECAE

PERTINENTIBUS

EPISTULA

Friedrich Schoell

FRIDERICUS SCHOELL
ADOLFO PATRI S.

Memini, pater carissime, Te olim, cum Iophontem quererēris quam misere divina patris poemata vexasset interpolassetque, Tuos filios dicere emendaturos potius esse et absoluturos quae molitus esses. Equidem vero hoc perfungi officio vellem certe si possem: posse me valde diffido. Nam Tu qua es ingenii ubertate — qua ut Tibi nobisque diu etiam frui liceat, cum semper tum hoc potissimum die festo optamus atque precamur — Tu dico, cum inde ab adulescentia summas quasque gravissimasque res attigeris ac pertractaveris, me in minutis pusillisque animadversionibus occupatum vides, quibus ut concedatur nobis iudicii quoddam si Dis placet acumen probare, non datur ad eam ingenii vim virtutemque adspirare, qua Tu et veterum et nostratium poetarum scripta amplexus es Teque illis consimilem condignumque praestitisti.

Ex hac autem mea tenuitate ut aliquando me paullo emersurum esse maioraque appetiturum spero, ita in praesenti satius duco intra angustiores fines continere studium. Eam igitur secutus rationem cum per hos menses testimonia de Aeschyli vita et arte retractarem, praeter alias res incidi in quaestionem de Suidae illo loco conclamato in vita Sophoclis: in quo rectius quam vel a Te vel ab aliis factum est explicando aliquid profecisse mihi videor. Priusquam autem hanc explicationem proferam, de aliis quibusdam rebus similis argumenti meam Tecum sententiam communicem. Quae si Tibi demonstrabunt recte me supra de mea mediocritate iudicasse, nihilo minus documento esse velim, quantum Tibi, pater dilectissime, debeam: quod quidem non ex ingenii dotibus fructibusve, sed ex animi voluntate percipiendum sit.

Vitae Aeschyli, quae eius fabulis praemitti solet, quis auctor fuerit, iure Teuffelius dixit etiam post Francisci Ritteri conatum in hac re non minus quam in aliis infelicem ignotum esse. Ritteri autem opinio vel ideo improbanda est, quod ille cum aliis de vita ex ampliore commentario in brevius coacta cogitavit, cum rectissime Westermannus observaverit ex hac potissimum vita perspici posse, prout occasio esset adnotandi, alios alia pro sua quemque eruditione marginibus adscripsisse, quae postea librarii de rerum ordine ipsi quoque parum solliciti in verborum contextu continuarent. Quocirca mihi non tam quis auctor fuerit, quam quibus singulae partes nitantur auctoribus, quaerendum esse videtur.

Nam statim ab initio cum brevi et praecisa oratione praemissa sit generis patriaeque Aeschyli notatio, satis ampla ac verbosa poeseos Aeschyliae insequitur explanatio diverso sermone conscripta. Cum prioris autem enuntiati ratione apte cohaeret quod longo intervallo extat de fabulis Aeschyli testimonium. Quas vitae particulas ex optimis fontibus derivatas esse, nimirum ex indicibus tabulisque Alexandrinis, propria quaedam utriusque laus docet, etsi altera emendatione indiget. Etenim cum omnes fere antiquitatis testes Aminiam cum Cynegiro Aeschyli fratrem commemorent, quem tamen Pallenensem, non Eleusinium, fuisse auctore Herodoto comperimus, codex Mediceus, quem unum in hac vita describenda ducem sequimur, nil habet nisi *Κυνεγείρου ἀδελφός*, apographa addunt *καὶ Ἀμεινίου* ex ampliore de trium fratrum bellica laude adnotatione haustum, quae paucis post exhibetur: at hanc quidem diversae esse originis etiam illud demonstrat, quod cum antea iam dictum sit *ἐξ εὐπατριδῶν τὴν φίσιν*, idem repetitur *γενναῖον δὲ αὐτόν φασι*. Priori autem particulae vix dubito quin adnectenda sint verba, quae inter primum de Aeschyli poesi iudicium et alteram fratrum commemorationem interponuntur: *συνεχρόνησε δὲ Πινδάρῳ γεγονὼς κατὰ τὴν † M̃ (ξγ' ?) ὀλυμπιάδα*. Iam in altero quod indicavi testimonio cum traditum sit Aeschylum confecisse *σατυρικὰ ἀμφὶ τὰ πέντε*, nemo non vidit hoc stare non posse. Quare Casaubonus *ιε'* proposuit pro *ε'* itemque Bothius numerum ita corrigendum esse duxit: *τὰ πέντε πρὸς τοῖς κ'* vel *λ'*. Nostra autem aetate fere omnes duorum apographorum scripturam *ἀμφίβολα πέντε* adsciverunt: itaque O. Muellerus post *σατυρικά* distinxit, Wachsmuthius praeterea numerum harum fabularum desiderari animadvertit, graviore Dindorfius usus est mutatione, de qua postea

dicam. Atqui *ἀμφίβολα* scriptura nullam prorsus auctoritatem habet. Nam liber, ex quo apographa illa, Lipsiense dico et Monacense saec. XV, descripta sunt, etiam aliis locis immutatus, interpolatus, omni modo corruptus est: velut pro *αἵ τε διαθέσεις τῶν δραμάτων οὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν* dedit *καὶ πολλὰς κτλ.* reiectis eis quae secuntur huic coniecturae contrariis, idemque *κατασπουδασθείς* verbum, quod etiam Bothio Westermannoque difficultatem praebuit, mutavit in *καταπεισθείς* (unde *καταπιθείς* corruptum in Monac) pariter remotis verbis insequentibus: scilicet quoniam utroque loco quae delevit poetae laudes quodam modo detrectare videbantur. Credesne ex libro tam temeraria violentaque manu tractato Mediceum corrigendum esse? Iam vero Dindorfius plus uno vitio locum quem tractamus laborare ratus sic fortasse in ordinem redigendum esse statuit: *ἐποίησε δράματα ο΄* (?), *ὧν σατυρικὰ* (intercidit numerus), *καὶ ἐπὶ τούτοις ἀμφίβολα πέντε.* Omitto hac coniectura ipsum Aeschylum effici conscripsisse fabulas sibi suppositas — quod si traditum esset, ex neglegentia quadam explicari posset, si coniectura inferimus, iniuriam facimus scriptori —: sed quod diffidit vir doctissimus opponi inter se *δράματα* et *σατυρικά*, id sane satis mirari non possum. Nam non modo ab aliis compluries observatum est haud raro *δρᾶμα* adhiberi pro *τραγῳδία*, velut nuper Vahlenus id monuit ad Aristotelis artem poeticam: verum ipse Dindorfius locum adscripsit illi prorsus accommodatum, quo nullus eandem rem demonstrare luculentius potest, ex vita Euripidis cod. Pal. 90: *σώζεται δ'αὐτοῦ δράματα ξζ΄ καὶ γ΄πρὸς τούτοις τὰ ἀντιλεγόμενα· σατυρικὰ δὲ η΄, ἀντιλέγεται δὲ καὶ τούτων τὸ α΄.* Iam vero cum his locis duobus satyrica seorsim numerari videas, statim Tibi in mentem veniet, mi pater, memorabile illud scholiorum Aristophaneorum testimonium: *τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρέστειαν αἱ διδασκαλίαι Ἀγαμέμνονα Χοηφόρους Εὐμενίδας Πρωτέα σατυρικόν. Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγουσι, χωρὶς τοῦ σατυρικοῦ*, ubi, cum pro *τοῦ σατυρικοῦ*, quod Nauckius reposuit, in codicibus extet *τῶν σατυρικῶν*, nescio an potius *τριλογίας* corrigendum sit; quod si minus placet, eodem sensu, quo *τοῦ σατυρικοῦ, τῶν σατύρων* licet scribatur. Ad Aristarchi autem Apolloniique rationem accedit Aristophanis auctoritas, quem ex consilio illo, quo Platonis dialogos ad fabularum committendarum similitudinem traxerunt, non tetralogias, ut Thrasylus, sed

trilogias constituisse scimus. Quae omnia si mente comprehendis, non dubitabis, quin haec ratio ad optimorum Alexandrinorum constantem consuetudinem pertineat. Errarunt igitur Dindorfius aliique, qui omnes fabulas *o'* numerum quamvis corruptum complecti in hoc vitae loco putarent eique Suidae* nonaginta opponerent fabularum numerum In catalogo autem codicis Medicei tres et septuaginta enumerantur fabulae: 1 *Ἀγαμέμνων*, 2 *Ἀθάμας*, 3 *Αἰγύπτιοι*, 4 *Αἰτναῖαι γνήσιοι*, 5 *Αἰτναῖαι νόθοι*, 6 *Ἀμυμώνη*, 7 *Ἀργεῖοι*, 8 *Ἀργὼ ἢ Κωπευσταί*, 9 *Ἀταλάντη*, 10 *Βάκχαι*, 11 *Βασσάραι*, 12 *Γλαῦκος πόντιος*, 13 *Δαναίδες*, 14 *Δικτυουλκοί*, 15 *Ἐπτ' ἐπὶ Θήβας*, 16 *Εὐμενίδες*, 17 *Ἐπίγονοι*, 18 *Ἐλευσίνιοι*, 19 *Ἡλιάδες*, 20 *Ἡδωνοί*, 21 *Ἡρακλεῖδαι*, 22 *Θρῇσσαι*, 23 *Θεωροὶ ἢ Ἰσθμιασταί*, 24 *Ἰφιγένεια*, 25 *Ἰξίων*, 26 *Ἱκέτιδες*, 27 *Κάβειροι*, 28 *Καλλιστώ*, 29 *Κρῆσσαι*, 30 *Κερκύων*, 31 *Κίρκη σατυρική*, 32 *Κήρυκες*, 33 *Κᾶρες ἢ Εὐρώπη*, 34 *Λάιος*, 35 *Λέων*, 36 *Λήμνιοι*, 37 *Λυκοῦργος*, 38 *Μέμνων*, 39 *Μυσοί*, 40 *Μυρμιδόνες*, 41 *Νεανίσκοι*, 42 *Νεμέα*, 43 *Νηρεῖδες*, 44 *Νιόβη*, 45 *Ξάντριαι*, 46 *Οἰδίπους*, 47 *Ὅπλων κρίσις*, 48 *Ὀστολόγοι*, 49 *Πενθεύς*, 50 *Περραιβίδες*, 51 *Πρωτεύς*, 52 *Πέρσαι*, 53 *Πηνελόπη*, 54 *Προπομποί*, 55 *Προμηθεὺς δεσμώτης*, 56 *Προμηθεὺς πυρφόρος*, 57 *Προμηθεὺς λυόμενος*, 58 *Πολυδέκτης*, 59 *Σαλαμίνιαι*, 60 *Σεμέλη ἢ Ὑδροφόροι*, 61 *Σίσυφος δραπέτης*, 62 *Σφίγξ*, 63 *Τοξότιδες*, 64 *Τήλεφος*, 65 *Τροφοί*, 66 *Ὑψιπύλη*, 67 *Φιλοκτήτης*, 68 *Φορκίδες*, 69 *Φρύγιοι*, 70 *Φρύγες ἢ Ἕκτορος λύτρα*, 71 *Χοηφόροι*, 72 *Ψυχοστασία*, 73 *Ψυχαγωγοί*. Ex his fabulis una removenda est *Αἰτναῖοι νόθοι* (5). Praeterea Dindorfius *Φρύγιοι* nomen (69) delevit ut dittographiam insequentis fabulae, non recte, ut videtur: nam talis dittographia parum veri similis est ex ea ratione, qua catalogus in Mediceo per columnas discriptus perhibetur, quam accurate expressi in testimoniorum collectione Ritschelio praeceptori dilectissimo a me comparata. His igitur quas habemus septuaginta duabus fabulis accedunt octo, de quibus aliunde satis constat: 73 *Γλαῦκος Ποτνιεύς*, 74 *Θαλαμοποιοί*, 75 *Ἱέρειαι*, 76 *Παλαμήδης*, 77 *Σίσυφος πετροκυλιστής*, 78 *Φινεύς*, 79 *Ὠρείθυια*, denique 80 *Προμηθεὺς πυρκαεύς*: neque enim Dindorfii de Prometheorum fabulis opinionem moror ab omni elegantiore sensu destitutam. Praeterea de duabus iniuria dubitare mihi videntur homines docti. Nam de *Ἀλκμήνη* fabula non video unde scrupulus iniciatur, nisi quod semel tantum eius mentio fit, quod idem aliis quoque accidit. Denique *Κύκνον* re

vera inter Aeschyli fabulas referendam esse ex Aristophane dilucide colligitur. Hos enim si inter se comparabis Ranarum locos:

σαφὲς δ'ἂν εἶπεν οὐδεέν....
ἀλλ' ἢ Σκαμάνδρους ἢ τάφρους ἢ 'π'ἀσπίδων ἐπόντας
γρυπαέτους χαλκηλάτους

et

.... οὐδ' ἐξέπληττον αὐτούς
Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους,

non Te fugiet profecto, quam diverso consilio et *γρυπαέτους* et *κύκνους* usurpet poeta; ut de Cygno cum Memnone pro fabula habenda mecum Tibi convenire putem, cum praesertim de huius fabulae argumento nulla sit dubitatio. Iam igitur habemus octoginta duas fabulas. De his decem omnium consensu satyricis vindicantur, pleraeque ex testimoniis, nonnullae ex certis rationibus: *Ἀμυμώνη* (6), *Κερκύων* (30), *Κίρκη* (31), *Κήρυκες* (32), *Λέων* (35) *Λυκοῦργος* (37), *Ὀστολόγοι* (48), *Προμηθεὺς πυρκαεύς* (80), *Πρωτεύς* (51), *Σίσυφος δραπέτης* (61). Praeterea de tribus quattuorve fabulis quo referendae sint dubitant: e quibus si duas saltem non improbabiliter satyricas fuisse sumimus, septuaginta restant tragoediae in vita numeratae i. e. viginti tres trilogiae unaque fabula solitaria, Aetnaeae scilicet, quam non pertinere ad Atheniensium cultum neque ad tetralogiarum rationem esse detorquendam consentaneum est. Iam vero vel maxime dignum est quod accurate animum advertas, Aeschylum dici septuaginta confecisse tragoedias, *καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικά*, quo ad *ϰγ΄* numerum ducimur. Quod autem satyricarum potissimum reliquarum memoria praeter decem duodecimve mature evanuit, Te certe non mirum habebit. Sed quoniam seorsim numerantur tragoediae fabulaeque satyricae, hos comprehendi numeros desiderabis: quare si eis quae antea exhibui verbis ex testimonio de Euripidis fabulis praemitti monuero *τὰ πάντα δ'ἦν αὐτῷ δράματα ϛή*, iam intelleges, ni fallor, quo tendat oratio mea: pro *τὰ πέντε* confidenter reponendum esse *τὰ πάντα* mecum iudicabis, in *ΑΜΦΙ* autem latere quos desideravimus et satyricarum et universarum fabularum numeros *ΚΓ΄*,*ϛΓ΄*. De *πέντε*, pro quo iam in Mediceo *ε΄* expressum est, in *πάντα* mutato ne verbum quidem adicerem, nisi in hac ipsa vita Stanlei codices idem postea vitium praeberent: *θεῖα πέντε πρόσωπα* pro *θεῖα πάντα πρ.*; numeri autem quot quantisque obnoxii fuerint corruptelis, clamant antiquitatis monumenta. Iam Suidas ex more suo

rotundum quem dicimus universarum fabularum numerum expressit, velut idem v. *Φιλήμων* habet *ἔγραψε δὲ κωμῳδίας πρὸς ἐνενήκοντα*: unde si quis etiam hoc vitae Aeschyliae loco *ἀμφί* servari posse addito *ς'* colligat, illud respondendum est, cum accurate hoc loco numeri computentur, vel maxime accuratam requiri designationem. Restituto autem *ζγ' τὰ πάντα* cum optime quae insecuntur sese accommodant *νίκας δὲ τὰς πάσας εἴληφε τρεις-καίδεκα*, tum illud lucramur, ut satis inter se conveniant Suidae et vitae numeri. Nam ut in aliis rebus perversissimum est studium, quo diversa testimonia explicationibus emendationibusque inter se conciliare moliuntur, ita tales, quales tractavimus, notationes ad unum omnes tabularum Alexandrinarum fontem revocandas esse in dies magis magisque probatur.

Itaque ut satis amplam disputationem paucis complectar, principio Aeschyli fabulis nihil praemissum esse contendo nisi hanc memoriam ex tabulis Alexandrinis depromptam: *Αἰσχύλος ὁ τραγικὸς γένει μέν ἐστιν Ἀθηναῖος, Ἐλευσίνιος τῶν δήμων, υἱὸς Εὐφορίωνος, Κυνεγείρου ἀδελφός, ἐξ εὐπατριδῶν τὴν φύσιν. συνεχρόνησε δὲ Πινδάρῳ γεγονὼς κατὰ τὴν ξγ' ὀλυμπιάδα. ἐβίω δὲ ἔτη ξγ', ἐν οἷς ἐποίησεν δράματα ο' καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικὰ κγ', ζγ' τὰ πάντα. νίκας δὲ τὰς πάσας εἴληφε ιγ', οὐκ ὀλίγας δὲ μετὰ τελευτὴν νίκας ἀπηνέγκατο.*

Hoc igitur antiquioris doctrinae grammaticae specimen scholiis hinc illinc decerptis exornabant et amplificabant, quae mox ex margine adscita cum interposita tum supposita sunt. De harum autem partium fontibus unam certe in ipsa vita habemus notitiam verbis *ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας* additis. Haec Mediceus continua scriptura exhibet inter verba *φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ καὶ λίαν εὐδοκιμεῖν* et insequentem de Prometheorum personis adnotationem; apographorum alia illis subiciunt, alia huic quasi rubricam inscribunt. Itemque nostra aetate cum antea et alii et Naekius ad Siciliensem Persarum actionem pertinere suspicati essent, iam cum ipso Naekio, G. Hermanno, Dindorfio aliis omnes ex musica ista historia desumpta esse putant verba: *ταύτῃ καὶ ἄριστος εἰς τραγῳδίαν Αἰσχύλος κρίνεται, ὅτι εἰσάγει πρόσωπα μεγάλα καὶ ἀξιόχρεα. καί τινες ἤδη τῶν τραγῳδιῶν αὐτῷ διὰ μόνων οἰκονομοῦνται θεῶν, καθάπερ οἱ Προμηθεῖς. τὰ γὰρ δράματα συμπληροῦσιν οἱ πρεσβύτατοι τῶν θεῶν, καὶ ἔστι τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ τῆς ὀρχήστρας*

θεῖα πάντα πρόσωπα. Atqui hanc quidem particulam aliunde huc illatam esse apertissime puto demonstrari posse. Post *πρόσωπα* enim vocem haec adnectitur observatio: *ἰστέον ὡς οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἔστι συμβαλεῖν.* Haec cum ex argumento Prometheі repetita esse viderent, editores omnes e verbis scriptoris removerunt. At mihi potius diserto testimonio haec indicare videntur etiam quae praecedunt verba de eadem fabula prolata ad argumentum illud pertinere. Nam in argumentis, quae ex Aristophanis disciplina prodiere, talia de componendarum fabularum arte iudicia locum habuisse non est quod exponam post doctas acutasque cum aliorum tum Adolfi Trendelenburgii de his rebus explanationes. Velut in Agamemnonis argumento haec habemus: *τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν. ἰδίως δὲ Αἰσχύλος τὸν Ἀγαμέμνονα ὑπὸ σκηνῆς ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ, τὸν δὲ Κασάνδρας σιωπήσας θάνατον νεκρὰν αὐτὴν ὑπέδειξεν, πεποίηκέ τε Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν ἑκάτερον διϊσχυριζόμενον περὶ τῆς ἀναιρέσεως ἐνὶ κεφαλαίῳ, τὴν μὲν τῇ ἀναιρέσει Ἰφιγενείας, τὸν δὲ ταῖς τοῦ πατρὸς Θυέστου ἐξ Ἀτρέως συμφοραῖς.* Sed etiam propius ad illius unde profecti sumus observationis similitudinem Aiacis Sophocleae argumentum accedit hisce verbis: *δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν. ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν αὑτῷ πεπραγμένων, ὥσπερ ἐξελέγχοντα ἑαυτόν. οὐδὲ μὴν ἕτερός τις ἠπίστατο τὰ τοιαῦτα, ἐν ἀπορρήτῳ καὶ νυκτὸς τοῦ Αἴαντος δράσαντος. θεοῦ οὖν ἦν τὸ τοιοῦτον διασαφῆσαι, καὶ Ἀθηνᾶς προκηδομένης τοῦ Ὀδυσσέως, διό φησι 'καὶ πάλαι φύλαξ ἦρ' ἦν τῇ σῇ πρόθυμος εἰς ὁδὸν κυνηγίᾳ'.* Hanc particulam tres codices exhibent, cum quartus omittat eadem ratione, qua simile de Prometheis iudicium ex argumento intercidit felici illud casu in vitae fine servatum. Quod eo facilius illinc detrusum huc inferri potuit, quod in codice Aeschylio Prometheus fabula praefixo ipso argumento vitam excepit. Sed accedit aliud, quod comparatis inter se argumentorum Aiacis Prometheique locis proficimus. Etenim ut in Aiace dicitur *δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν*, ita in scholiis ad Electrae versum 312: *δαιμονίως ᾠκονόμηται κτλ.*, in scholiis H ad Od. γ 279 *δαιμονίως προῳκονόμηται κτλ.*, et similiter vocem *δαιμονίως* adhibitam esse videmus in

scholiis B ad Il. Σ 447, Pind. Ol. I 105; e contrario in scholiis ad Electrae versum 307 dicitur: *θαυμαστῶς καὶ ἀνθρωπίνως δικαιολογεῖται* similique ratione iudicia adverbiis *ἰδίως*, *περιπαθῶς* aliis indicant. Iam vero reputandum nobis est in vita Aeschyli *διὰ μόνων οἰκονομοῖνται θεῶν* scripturam omnibus probatam apographis solis deberi, in Mediceo *δαιμόνων οἰκονομοῦνται θεῶν* inesse, similiter *ἐκ μόνων* et *ἐκ δαιμόνων κτλ.* in Stanlei codicibus. Id ne facili errori attribuam praeter constantem quem attigi grammaticorum vocis *δαιμονίως* usum molestissima in ipsis verbis tautologia facit: *διὰ μόνων οἰκονομοῦνται θεῶν — καὶ ἔστι θεῖα πάντα πρόσωπα*: quam evitabimus, si *διὰ μόνων θεῶν* explicationem esse rati, quae adscripta in apographorum contextum tota, ex parte etiam in Mediceum irrepserit, ita genuinam Aristophanis Byzantii manum restituerimus: *ταύτῃ καὶ ἄριστος εἰς τραγῳδίαν Αἰσχύλος κρίνεται, ὅτι εἰσάγει πρόσωπα μεγάλα καὶ ἀξιόχρεα. καί τινες ἤδη τῶν τραγῳδιῶν αὐτῷ δαιμονίως οἰκονομοῦνται, καθάπερ οἱ Προμηθεῖς κτλ.*

Nunc vero ad verba *ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας* revertendum est, quae iam non pro inscriptione, sed pro subscriptione accipiamus oportet. Ac facere vix possumus, quin Dionysii Halicarnassensis intellegendam esse sumamus aut ipsam historiam aut quam Rufum confecisse scimus epitomam. Nam quod erant qui de Dicaearcho cogitarent, inde haec dudum reiecta est suspicio, quod ille non *περὶ μουσικῆς ἱστορίας*, sed *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* libro inscripsit Cuius historiae quae fuerit indoles, edocti sumus cum frustulis, quae per duas pluresve deinceps manus resecta Suidas servavit, tum Rufiani libri adumbratione, quam ex Sopatri eclogis his verbis Photius descripsit: *τραγικῶν τε καὶ κωμικῶν ποικίλην ἱστορίαν εὑρήσεις· οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ διθυραμβοποιῶν τε καὶ αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν, ἐπιθαλαμίων τε ᾠδῶν καὶ ὑμεναίων καὶ ὑπορχημάτων ἀφήγησιν, περί τε ὀρχηστῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς θεάτροις ἀγωνιζομένων, ὅθεν τε καὶ ὅπως οἱ τούτων ἐπὶ μέγα κλέος παρ' αὐτοῖς ἀναδραμόντες γεγόνασιν, εἴτε ἄρρενες εἴτε καὶ τὴν θήλειαν φύσιν διεκληρώσαντο. τίνες δὲ τίνων ἐπιτηδευμάτων ἀρχὴ διεγνώσθησαν, καὶ τούτων δὲ τίνες τυράννων ἢ βασιλέων ἐρασταὶ καὶ φίλοι γεγόνασιν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τίνες τε οἱ ἀγῶνες καὶ ὅθεν ἐν οἷς ἕκαστος τὰ τῆς τέχνης ἐπεδείκνυτο.*

Haec si perlustraveris, nonne vides quam apte illa de Persarum actione Hieroni perquam probata adnotatio ad eam partem

musicae historiae referatur, qua respexit *τίνες τυράννων ἢ βασιλέων ἐρασταὶ καὶ φίλοι γεγόνασιν*? Sed licet etiam ultra progredi. Nam si mittimus quae interponuntur verba de epigrammate sepulcrali, quae vel ab eis editoribus, qui singulas vitae partes distinguere noluerunt, a ceteris seiuncta sunt, etiam duae amplioris ambitus quae praecedunt particulae non sine magna probabilitatis specie musicae historiae, quam adhibitam esse constat, vindicari poterunt. In qua cum disquireretur *ὅθεν τε καὶ ὅπως οἱ τούτων ἐπὶ μέγα κλέος παρ' αὐτοῖς ἀναδραμόντες γεγόνασιν*, ad hanc quaestionem quid accomodatius esse potest quam locus: *τὸ δ' ἁπλοῦν τῆς δραματοποιίας εἰ μέν τις πρὸς τοὺς μετ' αὐτὸν λογίζοιτο, φαῦλον ἂν ἐκλαμβάνοι καὶ ἀπραγμάτευτον, εἰ δὲ πρὸς τοὺς ἀνωτέρω, θαυμάσειε τῆς ἐπινοίας τὸν ποιητὴν καὶ τῆς εὑρέσεως. ὅτῳ δὲ δοκεῖ τελεώτερος τραγῳδίας ποιητὴς Σοφοκλῆς γεγονέναι, ὀρθῶς μὲν δοκεῖ, λογιζέσθω δ' ὅτι πολλῷ χαλεπώτερον ἦν ἐπὶ Θέσπιδι Φρυνίχῳ τε καὶ Χοιρίλῳ ἐς τοσόνδε μεγέθους τὴν τραγῳδίαν προαγαγεῖν ἢ ἐπὶ Αἰσχύλῳ εἰπόντα εἰς τὴν Σοφοκλέους ἐλθεῖν τελειότητα.* Hoc autem eo libentius musicae historiae tribuemus, quod interponitur inter eum locum, ad quem ipsa pertinet subscriptio, et alteram explanationem, qualem libri illius summam effecisse cum verba docent *τίνες τε τίνων ἐπιτηδευμάτων ἀρχὴ διεγνώσθησαν* tum fragmenta apud Suidam servata, quae omnia fere in eis versantur, quae quisque novaverit et primus instituerit: *πρῶτος Αἰσχίλος πάθεσι γεννικωτέροις τὴν τραγῳδίαν ἠὔξησεν. τὴν δὲ σκηνὴν ἐκόσμησε καὶ τὴν ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε τῇ λαμπρότητι, γραφαῖς καὶ μηχαναῖς, βωμοῖς τε καὶ τάφοις, σάλπιγξιν, εἰδώλοις, Ἐρινύσι, τούς τε ὑποκριτὰς χειρῖσι σκεπάσας καὶ τῷ σύρματι ἐξογκώσας, μείζοσί τε τοῖς κοθόρνοις μετεωρίσας. ἐχρήσατο δ' ὑποκριτῇ πρώτῳ μὲν Κλεάνδρῳ, ἔπειτα καὶ τὸν δεύτερον αὐτῷ προσῆψε Μυννίσκον τὸν Χαλκιδέα. τὸν δὲ τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς ἐξεῦρεν, ὡς δὲ Δικαίαρχος ὁ Μεσσήνιος Σοφοκλῆς.* Quod vero quam unam ex his inventionibus Suidas v. *Αἰσχύλος* exhibet: *πρῶτος εὗρε προσωπεῖα δεινὰ χρώμασι κεχρισμένα ἔχειν τοὺς τραγικοὺς καὶ ταῖς ἀρβύλαις τοῖς καλουμένοις ἐμβάταις χρῆσθαι*, eam aliis verbis indicat, ut et *χρῆσθαι* usurpet pro exquisitiore dictione *μετεωρίσας* et pro *μείζοσι τοῖς κοθόρνοις* duo adhibeat synonyma, id nullam praebet offensionem, quoniam non ipsam historiam musicam Suidas exscripsit, sed quae ex ea in usum onomatologi sui converterat Hesychius Milesius, iterum

decurtata dedit. Ex ipsa denique Dionysii historia etiam catalogum illum fabularum Aeschyli profluxisse, ex eis, quae praeter alios Wachsmuthius de hac operae Dionysianae parte disputavit, perquam veri simile erit.

Quae si recte a me disputata sunt, cum illud lucramur, ut ex his fragmentis in vita Aeschyli traditis imaginem aliquanto pleniorem integrioremque libri utilissimi resuscitare possimus, tum hoc effecimus, ut de uno saltem Dionysii ipsius fonte certam capiamus coniecturam. Nam is unde hauserit cum investigare noluerit Wachsmuthius in disputatione bonae frugis plenissima, iam tria momenta inter se conveniunt, quibus ad Dicaearchum Messenium perducimur. Ac primum quidem ipsum nomen eius excitatur in vitae Aeschyliae loco; tum de agonibus complures adnotationes Suidas servavit a Wachsmuthio compositas; denique Sopater musicam historiam continuisse dicit *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τίνες τε οἱ ἀγῶνες καὶ ὅθεν ἐν οἷς ἕκαστος τὰ τῆς τέχνης ἐπεδείκνυτο*: quae omnia auctoritate libri *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* inniti quis est quem fugiat? Hunc autem librum etiam de instaurata apud Hieronem actione notitiam praebuisse ex consimili Dicaearchi de Ranis observatione colligo: *οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος.*

Sed vitae Aeschyliae locus iste, quo Dicaearchi mentio inicitur, etiam per se satis dignus est, qui diligentius inspiciatur. Etenim in quaestione illa decantata et ad fastidium usque repetita de actorum numero per Aeschylum et Sophoclem definito nemo quod sciam disertis verbis eius rei rationem habuit, quae neutiquam neglegenda erat, Sophoclem primum desiisse ipsum actoris partes sustinere. Iam vero hoc vitae Aeschyliae id est historiae musicae loco aperte indicatur principio Aeschylum cum uno actore prodiisse, deinde alterum adscivisse, nimirum illo tempore, quo inter tres actores partes distribuere sive ex sua ipsius sententia sive Sophoclis secutus exemplum instituerit: *ἐχρήσατο δ' ὑποκριτῇ πρώτῳ μὲν Κλεάνδρῳ, ἔπειτα καὶ τὸν δεύτερον αὐτῷ προσῆψε Μυννίσκον.* Sed longius evagari coniectura audeo. Thespin enim, quem primum actorem introduxisse constat, cum iam dialogos adhibuisse ex testimoniis nonnullis eluceat, ipsum cum coryphaeo interdum sermocinatum esse statuerunt. Quid vero, si quod actorem introduxisse dicitur non ad eas quas ipse sustinuit partes referimus, sed ita interpretamur, ut re vera actorem

sibi conduxerit, quocum ipse ageret? Tum Aeschylus, qui initio uno Cleandro usus idem secutus esset, mox alterum sibi Mynniscum assumpsit, Sophocles autem, utpote cum ad actionem ipse non valeret, tertium sibi substituit, ut non tam personarum ille, quam actorum publicorum numerum auxisse existimandus sit, quorum tres postea sorte singulis poetis assignatos esse memoriae proditur. Quod si statuimus, cum veterum de tertio actore instituto dissensio compluries commemorata facillime explicatur tum memorabilis sane tautologia, qua non semel Sophocles primus dicitur usus esse *τρισὶν ὑποκριταῖς καὶ τῷ καλουμένῳ τριταγωνιστῇ.* Sed hoc utcunque sese habet, ei a quo profecti sumus historiae musicae loco illa laus remanebit, ut duos poeseos Aeschyliae in adhibendis actoribus quasi gradus, de quibus nulla est dubitatio, accurate inter se distinguat.

Praeter eas quas modo tractavi vitae partes praecipua laude floret illud quod breviori, quam primo loco consarcinare studui, notationi interponitur iudicium: *νέος δὲ ἤρξατο τῶν τραγῳδιῶν καὶ πολὺ τοὺς πρὸ ἑαυτοῦ ὑπερῆρε κατά τε τὴν ποίησιν καὶ τὴν διάθεσιν τῆς σκηνῆς, τήν τε λαμπρότητα τῆς χορηγίας καὶ τὴν σκευὴν τῶν ὑποκριτῶν, τήν τε τοῦ χοροῦ σεμνότητα, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης· ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον'·.... κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ πλάσμα, ὀνοματοποιίαις τε καὶ ἐπιθέτοις, ἔτι δὲ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον περιθεῖναι χρώμενος. αἵ τε διαθέσεις τῶν δραμάτων οὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας καὶ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις· μόνον γὰρ ζηλοῖ τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις, ἀρχαῖον εἶναι κρίνων τοῦτο τὸ μέρος μεγαλοπρεπές τε καὶ ἡρωικόν, τὸ δὲ πανοῦργον κομψοπρεπές τε καὶ γνωμολογικὸν ἀλλότριον τῆς τραγῳδίας ἡγούμενος· ὥστε διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμῳδεῖται παρὰ Ἀριστοφάνους. ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ Νιόβη ἕως τρίτου μέρους ἐπικαθημένη τῷ τάφῳ τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται ἐγκεκαλυμμένη· ἐν δὲ τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα. διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ διαφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν, γνῶμαι δὲ ἢ συμπάθειαι ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων εἰς ὑάκρυα ἀγαγεῖν οὐ πάνυ. ταῖς τε γὰρ ὕψεσι καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπληξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται.* Hoc et alii laudarunt iudicium et Dindorfius 'ex optimo

et antiquissimo fonte petiisse biographum' censuit 'verbosis recentiorum multorum de Aeschylea poesi scriptorum disputationibus anteferenda, qui tragicis Graecis non pauca affinxerunt de quibus illi nunquam cogitaverant.' Neque tamen quis auctor ille fuerit diligentius inquisivit, nisi quod antea Chamaeleontis Heracleotae Peripatetici scriptionem *περὶ Αἰσχύλου* commemorasse satis habuit. Itemque Ernestus Koepke ubi haud inutiliter de Chamaeleontis vita librorumque relliquiis disseruit, in universum dixit 'nihil obstare, quin nonnullas Chamaeleontis adnotationes in hanc vitam transiisse credamus.' At hoc sane parum est. Quid enim obstat, quominus ex Heraclidis Pontici, Aristoxeni Tarentini aliorumve quos vel novimus vel ignoramus libris illuc transiisse quaedam credamus? Nam etiam quod totum dicendi genus peripateticam disciplinam redolet, non sufficit ad persuadendum, cum artis aestimatio ab illa omnis omnino apud veteres dependeat. Sed habemus unde certius aliquid colligere possimus Chamaeleontis fragmentum, quod quidem ipsum in eius relliquiis conquirendis praetermisit Koepkius. Notum est enim quot quantaque commenta ex veteris mediaeque quas dicimus comoediae inventis in litterarum antiquarum historiam redundarint, quo ex genere haud pauca et alii aperuerunt et Tu ipse, pater optime, detexisti: velut quae de Sophoclis et lite cum Iophonte peracta et morte fabulosa coniecisti, nemo facile redarguat. Hunc autem ambiguae lubricaeque fidei fontem vix quemquam puto tam aperte professum esse quam Chamaeleontem, qui loco ab Athenaeo servato haec habet: *Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτόν φησι (Αἰσχύλον) σχηματίσαι τοὺς χορεύς ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χορεύσι τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων, καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περιιστᾶν. ὑπεκρίνετο γοῦν μετὰ τοῦ εἰκότος τὰ δράματα. Ἀριστοφάνης γοῦν — παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἡ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις — ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα· 'τοῖσι χορεύσι αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν' καὶ πάλιν· 'τοὺς Φρύγας οἶδα θεωρῶν, ὅτε τῷ Πριάμῳ συλλυσόμενοι τὸν παῖδ' ἦλθον τεθνεῶτα, πολλὰ τοιαυτὶ καὶ τοιαυτὶ καὶ δεῦρο σχηματίσαντας.'* Iam vero attendendum est in illo vitae Aeschyliae loco non modo bis Aristophanem testem excitari — et ubi exornasse poeta dicitur artem tragicam et in observatione de Niobae Achillisque silentio ex Ranis tota descripta —, verum etiam cetera omnia ad Aristophanis mentem composita

esse. Itaque ubi cum recentioribus comparatur poeta, is perstringitur qui 'κομψευριπικῶς' ὡς παρέλαβεν τὴν τέχνην οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν ἴσχνανε μὲν πρώτιστον καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλεν.; in extremis autem verbis illud respicitur, quod Aeschylus ἐξέπληττεν Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους, cum ille studeret, ut ἐλεεινοὶ τοῖς ἀνθρώποις φαίνοιντ' εἶναι: ubiubi inspexeris, Aristophanis animum persentisces. Quare cum tantis laudibus iudicium illud Dindorfius extolleret, miror sane, quod obscure de 'optimo fonte' monuit, cum suo iure Aristophanem laudare posset: quem si reapse optimum et antiquissimum poeseos Aeschyliae existimatorem esse vult, haud equidem obloquar. Namque eius iudicium ut accuratissime Chamaeleon expressit, ita posteri unice secuti sunt, cum vel Tzetzes loco lepidissimo, quem ad calcem collectionis meae reieci, acriter invehatur in eos, qui Aeschylo praeferant Euripidis 'κάπηλα' γράμματα. Sed Koepkius cum fragmento illo gravissimo etiam hanc Chamaeleontis rationem prorsus neglexit ex ipsis maxime poetarum scriptis vitas illum enarrare contendens. Quamquam per se etiam hoc verum, neque tamen unum erat. Itaque epigrammate illo, quod contra Teuffelii edictum cum Schneidewino aliisque confidenter ipsi Aeschylo attribuo, Chamaeleon usus esse videtur. Hoc enim et Athenaeus profert, quem pleraque de Aeschylo ex Chamaeleonte decerpsisse manifestum est, et Pausanias ita commemorat, ut sententiam cum Athenaeo prorsus congruam de eo ferat. Pausaniam autem aut ipsum Chamaeleontem aut cognatum certe auctorem excerpsisse praeter hunc cum Athenaeo consensum altera de Pindaro narratiuncula arguit: Πίνδαρον δὲ ἡλικίαν ὄντα νεανίσκον καὶ ἰόντα ἐς Θεσπιὰς ὥρᾳ καύματος περὶ μεσοῦσαν μάλιστα ἡμέραν κόπος καὶ ὕπνος ἀπ' αὐτοῦ κατελάμβανεν. ὁ μὲν δὴ ὡς εἶχε κατακλίνεται βραχὺ ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ· μέλισσαι δὲ αὐτῷ καθεύδοντι προσεπέτοντό τε καὶ ἔπλασσον πρὸς τὰ χείλη τοῦ κηροῦ. ἀρχὴ μὲν Πινδάρῳ ποιεῖν ᾄσματα ἐγένετο τοιαύτη. Hoc enim in Chamaeleontis de Pindaro scriptione extitisse Eustathii locus in prologo adnotationum Pindaricarum demonstrat, cuius ipsum quoque testimonium fugit Koepkium: Χαμαιλέων δέ φασι καὶ Ἴστρος ἱστοροῦσιν, ὡς περὶ Ἑλικῶνα θηρῶντος αὐτοῦ καὶ καμάτῳ κατενεχθέντος εἰς ὕπνον μέλισσα τῷ στόματι προσκαθίσασα κηρία ἐνέθετο· οἱ δ' ὅναρ φασὶν ἰδεῖν αὐτόν, ὡς μέλιτος καὶ κηροῦ πλῆρες αὐτῷ γεγόνοι τὸ στόμα· καὶ οὕτως οἰωνισά-

μενος ἔπειτα εἰς ποιητικὴν ἐτράπη. Quae cum ita sint, etiam quam de Aeschylo Pausanias exhibet historiolam prorsus similem, ad Chamaeleontem referre licet: *ἔφη δὲ Αἰσχύλος μειράκιον ὢν καθεύδειν ἐν ἀγρῷ φυλάσσων σταφυλάς, καὶ οἱ Διόννσον ἐπιστάντα κελεῦσαι τραγῳδίαν ποιεῖν. ὡς δὲ ην ἡμέρα, πείθεσθαι γὰρ ἐθέλειν, ῥᾷστα ἤδη πειρώμενος ποιεῖν. οὗτος μὲν ταῦτα ἔλεγεν.* Quamquam de his etiam alia ratio in promptu est, quae mihi certe praestare videtur. Etenim cum uno loco Pausanias aperte Ionis Chii commentarium exscripserit, nescio an potius ex illo etiam haec promanarint, ut Pausaniae cum Chamaeleonte concentus ad communem auctorem Ionem redeat; praesertim cum Ionem de Aeschylo nonnulla litteris consignasse cum ex aliis tum ex Plutarcho constet, apud quem frequens Ionis est usus. Quare etiam epigramma illud per Ionem posteritati propagatum esse haud vana est suspicio. Nam Pausanias dicit: *καὶ δὴ καὶ Αἰσχύλος, ὥς οἱ τοῦ βίου προσεδοκᾶτο ἡ τελευτή, τῶν μὲν ἄλλων ἐμνημόνευσεν οὐδενός, δόξης ἐς τοσοῦτον ἥκων ἐπὶ ποιήσει καὶ πρὸ Ἀρτεμισίου καὶ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσας* — ubi Athenaeus: *τηλικαύτην δόξαν ἔχων διὰ τὴν ποιητικὴν* —, *ὁ δὲ τό τε ὄνομα πατρόθεν καὶ τὴν πόλιν ἔγραψε, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μάρτυρας ἔχοι τὸ Μαραθῶνι ἄλσος καὶ Μήδων τοὺς ἐς αὐτὸ ἀποβάντας* — ubi Athenaeus: *οὐδὲν ἧττον ἐπὶ τοῦ τάφου ἐπιγραφῆναι ἠξίωσε μᾶλλον τὴν ἀνδρείαν ποιήσας· 'ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιστάμενος'.* Iam vero ad Pausaniae verba *καὶ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσας* accedit disertum testimonium in scholiis Mediceis ad Persas servatum: *Ἴων ἐν ταῖς Ἐπιδημίαις παρεῖναι Αἰσχύλον ἐν τοῖς Σαλαμινιακοῖς φησί*: quod quonam loco commodius monere Ion potuit, quam ubi de epigrammate eam sententiam pronuntiaret, quam Pausanias cum Athenaeo servavit? Sic igitur effecimus, opinor, ut probabili nitatur argumentatione, quod recte iam mera coniectura assecutus erat Schneidewinus de Ione tanquam praecipuo veterum de vita Aeschyli fonte: qui cum sperandum esse diceret fore, ut aliquando quale de pugna Salaminia haberemus Ionis testimonium etiam de Artemisiaco proelio protraheretur, cui Pausanias tantum minoresque historici Aeschylum interfuisse testarentur, iam ipsum illum Pausaniae pro Ionis accipere poterimus locum. Porro cum Schneidewinus diceret: *'ich vermuthe sogar, dass Plutarch im Kimon 8 die geschichte vom*

wettstreite des jungen Sophocles mit dem ältern meister den aufzeichnungen des Ion in den Denkwürdigkeiten entnommen haben mag', etiam hanc aliunde stabilire licebit coniecturam. In vita enim Aeschyli post illud Chamaeleontis iudicium ex Aristophane expressum, haec extant: *ἀπῆρε δὲ ὡς Ἱέρωνα, κατά τινας μὲν ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ*, ubi Plutarchus: *πρώτην γάρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος κτλ.* In vita autem Aeschyli *κατά τινας μὲν* scriptura omnibus probata rursus solorum apographorum est, cum Mediceus *κατά τινα μὲν* exhibeat. Iam si reputaveris ipsius itineris Siciliensis prae ceteris Athenaeum, Pausaniam, Plutarchum auctores extitisse, non dubitabis hanc quoque memoriam ad Ionem revocare, unde eam et Athenaeus et biographus Aeschyli per Chamaeleontem acceperint. Illo autem vitae Aeschyliae loco nisi licet *κατά τινα* Medicei scripturam de Ione intellegere, fortasse *ατι* in *ιω* mutatis *κατ' Ἴωνα* scribendum erit. Qua in re non absonum est similem in vita Sophoclis afferre corruptelam: *ἠθοποιεῖ τε καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν· ὅθεν εἰπεῖν Ἰωνικόν τινα μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν*, ubi alii alia tentarunt, itemque illud *ὡς καὶ παρά τινι κτλ.* in schol. ad O. C. v. 1375, ubi *Πρατίναν* Bergkius, *παρὰ Τίμωνι* Meinekius proposuerunt, denique *Ἰωνά τινα συγγραφέα* Phrynichi.

Ex ipsa vero vita Aeschyli quoniam cum alia tum quae de itinere Siciliensi narrantur ad Chamaeleontem revocavimus, etiam epigramma illud, quod ad sepulcrum Gelae factum refertur, ibi non minus quam in Athenaei loco a Chamaeleonte repetitum esse putabimus. Quod cum arctissime coniungatur cum nota illa de Aeschyli morte fabella, quam etiam Sotades, Suidas, Aelianus, Plinius, Valerius Maximus exhibent, augetur quodam modo ea suspicio, quam olim Lehrsius movit quamvis parum idonea explicatione usus, desumptam eam esse ex comico aliquo poeta, cum Welckerum secuti Bergkius, Teuffelius, Goettlingius ad artis quoddam exemplar confugerent ipsi quoque eis usi explicationibus, quae nemini, ex parte ne ipsis quidem auctoribus postea satisfacerent. Potuit autem ansam praebere locus vexatissimus Myrmidonum Aeschyliae, quem ex optimis fontibus sic Nauckius restituit: *ἐπ' ἀετὸς δὲ ξουθὸς ἱππαλεκτρύων στάζει κτλ.* Hunc qui dicitur *ἀετὸς ἱππαλεκτρύων* cum et Aristophanes saepius

exagitet et scholia semper irrisum esse prodant, facile ita adhibere potuit comicus aliquis, ut notissima fabula usus de aquila testudinem e sublimi deiciente fatalem Aeschylo fuisse et cerebrum ei perculisse fingeret. Ut autem re vera Aeschyli aliquod dictum hac narratiuncula perstringi credamus, oraculum fidem facit, quod de morte commemoratur *οὐράνιόν σε βέλος κατακτενεῖ*, quo acute Goettlingius intellexit ambigua significatione famosum illud ex Aeschyli Ostologis peti etiam a Sophocle adhibitum: *ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος γελωτοποιὸν τὴν κάκοσμον οὐράνην ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτε*. Quae cum ita conveniant, non puto cum Welckero aliisque sumendum esse, quod per se liceret, oraculum postea demum ad narratiunculam esse effictum, sed utrumque ex mediae comoediae fabula repetendum, qua poeta eis quae male administrasset quasi enicari doceretur. Et fortasse testudo illa ab aquila iacta, *οὐράνιον βέλος*, ad urinalis speciem depicta erat. Sed in regionem *κάκοσμον* me deferri sentio: unde praestat me ad illum vitae Aeschyliae locum recipere, quem ipsum quoque probabiliter Chamaeleonti vindicare posse mihi videor, quippe cum ex Aristophanis loco perperam explicato profluxerit. Is enim cum Aeschylum in Ranis dicentem faciat: *ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι, τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν*, et scholiasta et recentiores interpretes multi hoc dicto plebiscitum tangi censuerunt, quo Aeschyli fabulas Athenienses vel post mortem eius in certamen deferre permisissent. At G. Hermannus qua erat iudicii integritate ita acutissimi dicti vim everti perspexit, quo unum contenderet Aeschylus suam ipsius poesin immortalem inter homines remansisse, Euripidis cum illo in Orcum descendisse. Quod cum alii verissimum esse agnoscerent, alii, ut Exnerus, Goettlingius, R. Dahmsius simplicem aspernati rationem aut scholiorum errorem redintegrarunt aut ipsi reconditiora excogitarunt, ut de his philologorum explicationibus merito dici posse videatur: non tam naturam, quam pravam doctrinam expellas furca, tamen usque recurret. Sed etiam Hermannus quique cum eo recte de Aristophanis loco iudicarunt, itemque O. Muellerus, Bernhardyus, Kornius, alii de ipso plebiscito, quod scholia afferunt, dubitationem non moverunt, utpote de quo aliunde satis constare arbitrarentur. At Quintiliani locum si mittimus, quem omnes consentiunt perversa tradere, cetera de hac re testimonia ad Aristophanem omnia redire censeo. Nam quod praeter adnotationem ad Ranas factam ad

Acharnensium locum idem commemorant scholia, patet haec pro uno habenda esse testimonio. Philostratum autem alterum testem ad Ranas respexisse arguunt verba: *ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς.* Iam igitur restat locus in vita Aeschyli, quem cum Chamaeleontis esse haud inepta sit opinio, ex illius consuetudine ipsum quoque comoedia niti mecum statues. Neque tamen hoc plebiscitum commenticium esse contenderim, quod per se parum probabilitatis haberet. Simile autem huius legis consilium fuisse videtur eius, quam a Lycurgo latam esse scimus, de qua facere non possum quin controversiam satis superque agitatam paucis retractem.

Verba enim biographi x oratorum: *καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν* (sc. *Αἰσχύλου Σοφοκλέους Εὐριπίδου*) *ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι*, cum procul dubio corruptela laborent, ex permultis quae protulerunt mihi unum probandum videtur, quod Stanleius vidit et post eum Bernhardyus distinguendum esse post *παραναγινώσκειν*. Nam coniunctis *παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις* alia inesse non potest sententia, quam 'agentibus in scaena histrionibus iuxta ex scripto exemplari legere verbaque scripta cum recitatis conferre iuberi civitatis scribam' — quae erat sane Heinrichii, Grysari, G. Hermanni, aliorum explicatio. At id non modo ab scribae civitatis auctoritate abhorrere nec institutis Atheniensium scaenicis convenire iam omnes concedent, sed etiam per se parum utilitatis allaturum fuisse recte Sommerbrodtius monuit, cum illud potius curandum fuisset, ut ante actionem fabulae quominus depravarentur impedirent. Quod vero hoc ipsum ut efficeret *παραναγινώσκειν* in *ἀναγινώσκειν* Sommerbrodtius mutavit, vix in animum induces vocem propria significatione insignem eandemque aptissimam, dummodo eis quae praecedunt adnectas, mero tribuendam esse errori, praesertim cum quae insecuntur utique medela indigeant. In his autem quod *παρυποκρίνεσθαι* ille finxit pro *ὑποκρίνεσθαι* assentiente Iahnio, hanc vocem, etsi omnino fingi potuisse patet, tamen in lege potissimum extitisse fidem excedit. Sed idem in ceteras coniecturas cadit: nam et quod speciose sane cum Wyttenbachio Bernhardyus ac Buechelerus *παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* receperunt pro *γὰρ αὐτὰς ὑπ.* et quod aliis placuit *ἄλλως ὑποκρίνεσθαι* vel

αὐτὰς ἄλλως ὑπ., iam alii notarunt haec non satis perspicue reique accomodate dicta esse, id quod in legis formula quam maxime requirimus. At si post *παραναγινώσκειν* distinguendum esse statuimus, vix recte in tali quidem loco *τοῖς ὑποκρινομένοις — ὑποκρίνεσθαι* tolerabimus. Sed quid potissimum restituendum sit deficientibus aliunde subsidiis pro certo nequit statui. Neque tamen dubium esse potest quid sibi voluerit Lycurgus. Nam rectissime uno omnes consensu de fabularum immutationibus cogitarunt actoribus interdicendis: hi enim quanta libidine saevierint in trium poetarum tragoedias et veteres clamant et Tu, pater carissime, cum aliis probe perspexisti: velut quae de Antigonae versibus conclamatis aliisque locis similibus exposuisti, nemini non persuadebis, cui persuadere operae pretium erit. Illo autem ipso tempore, quo Lycurgus legem tulit, actores coepisse *τὰς παλαιὰς τραγῳδίας ἀναλαμβάνειν* satis notum est. Haec igitur legis pars ad actores pertinens eodem continetur consilio, quo altera illa, qua publicum quoddam fabularum exemplar castigandum servandumque curavit. Iam vero idem fere spectasse videtur illud de Aeschylo plebiscitum, de quo maxime respicienda sunt biographi verba decrevisse Athenienses *τὸν βουλόμενον διδάσκειν χορὸν λαμβάνειν*. Neque enim quidquam magis actorum immutationes excitavit, quam chororum choragorumque penuria. Nam quod de comoedia Platonius tradit: *τῶν γὰρ χορηγῶν μὴ χειροτονουμένων καὶ τῶν χορευτῶν οὐκ ἐχόντων τὰς τροφὰς ὑπεξηρέθη τῆς κωμῳδίας τὰ χορικὰ μέλη καὶ τῶν ὑποθέσεων ὁ τρόπος μετεβλήθη*, id etiam de tragoedia valere cum alia demonstrant, quae ex Demosthene maxime comperta habemus, tum locus ex scholiis ad Euripidis Medeam desumptus: *Ἀπολλόδωρος μὲν οὖν φησιν ὁ Ταρσεὺς τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ Μηδείας λεγομένοις*. Has igitur mutationes ita praecludere studuerunt, ut festis diebus pro novis Aeschyli fabulas doceri permitterent. Nam verba biographi *χορὸν λαμβάνειν* interpretari non possumus nisi de actionibus publicis: eadem autem verba suadent, ne hoc pro mero autoschediasmate habeamus ad Ranarum locum explicandum concepto. Sed illud iam alii viderunt, quod de Aeschylo memoriae proditur, non minus de Sophocle et Euripide valere sive ex lege, cuius notitia interciderit, sive ex sola consuetudine

Ceterum actorum superbiam a poetis fabularum exegisse im-

mutationes multi etiam Aristotelis verbis indicari putabant in arte poetica: *λέγω δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς οὔτ' ἀνάγκη εἶναι* (an: *ἐν ᾧ τὰ μετ' ἄλληλα δι' ἄλληλα οὔτ' εἰκὸς κτλ.*?). *τοιαῦται δὲ ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτούς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς ὑποκριτάς. ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείναντες μῦθον πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὰ ἐφεξῆς.* Sed hoc loco non dubito quin recte post Hermannum Susemihlius ex apographis nonnullis *διὰ τοὺς κριτάς* reposuerit pro *δ. τ. ὑποκριτάς* optimi codicis scriptura. Vahlenus autem cum in coniectaneis suis idem probasset, iam in editione *ὑποκριτάς* defendere tentavit. Sed ad rationes ab Hermanno Susemihlioque expositas accedunt loci consimiles et in ipsa arte poetica et in scholiis ad poetas tragicos, quae recte Trendelenburgius monuit haud raro ad explicandam artem poeticam usui esse. Ad Phoenissarum enim versum 88 adnotatur: *ἡ τοῦ δράματος διάθεσις ἐνταῦθα ἀγωνιστικωτέρα γίνεται. τὰ γὰρ τῆς Ἰοκάστης παρελκόμενά εἰσιν καὶ ἕνεκα τοῦ θεάτρου ἐκτέταται*, ubi *ἕνεκα τοῦ θεάτρου* ad idem fere redit quo *διὰ τοὺς κριτάς*. Ceterum prorsus idem vitium in scholiis ad Ranas habemus: *οὔτε γὰρ Ἀθηναίοισι συνέβαιν' Αἰσχύλος*] *ὡς φαύλων περὶ τὰς ἀποκρίσεις ὄντων*, ubi nemo non videt *κρίσεις* restituendum esse. Iam vero ex ipsa arte poetica hi loci afferendi sunt: *μάλιστα μὲν οὖν ἅπαντα δεῖ πειρᾶσθαι ἔχειν, εἰ δὲ μὴ τὰ μέγιστα καὶ πλεῖστα, ἄλλως τε καὶ ὡς νῦν συκοφαντοῦσι τοὺς ποιητάς· γεγονότων γὰρ καθ' ἕκαστον μέρος ἀγαθῶν ποιητῶν ἕκαστον τοῦ ἰδίου ἀγαθοῦ ἀξιοῦσι τὸν ἕνα ὑπερβάλλειν.* Porro: *ἀκολουθοῦσι γὰρ οἱ ποιηταὶ κατ' εὐχὴν ποιοῦντες τοῖς θεαταῖς.* Denique verba: *τὸ γὰρ ὅμοιον ταχὺ πληροῦν ἐκπίπτειν ποιεῖ τὰς τραγῳδίας.* Etenim cum poetarum tragicorum fabulae circa eadem fere argumenta versarentur, Athenienses autem nihilo minus *καινὰ δράματα* semper postularent, fieri non potuit, quin argumenta eadem novis identidem rationibus immutarent, variarent, amplificarent, quod verbo *καινοτομεῖν* aliisque veteres grammatici indicabant. Nam diligentissime veteres ad hanc rem animum advertebant, ut vel in argumentis ad fabulas conscriptis stabilem eius modi observationes sibi locum vindicarent. Quin etiam apud latinos grammaticos similia extant, velut apud Sergium qui fertur in explanationibus ad Donatum: 'aliam scripsit Medeam Sophocles, item in alio furoris actu aliam

Euripides, aliam diversi scriptores'. Neque illud fugere potuit grammaticos saepe hac ratione seu tacite seu diserte impugnari, qui antea idem argumentum tractaverant. Ac de Aeschylo nihil eius modi adnotarunt, utpote a quo ceteros dependere putarent, cum is primus argumenta probe disponenda enarrandaque proposuisset. Nam quod unum huc quadrare aliqua ratione videri possit Persarum exemplum, in eo tantum aberat, ut Phrynichi Phoenissas quodam modo impugnari sumerent, ut potius illius vestigia accurate Aeschylum expressisse Glauci esset opinio. Sed de Sophocle primo habemus quae in hanc rem faciant scholia, velut ad Aiacis versum 787: *πρὸς τὸ Εὐριπίδου ἐν Δίκτυι*, et 833: *φησὶν δὲ περὶ αὐτοῦ Αἰσχύλος ὅτι καὶ τὸ ξίφος ἐκάμπτετο, οὐδαμῇ ἐνδιδόντος τοῦ χρωτὸς τῇ σφαγῇ· 'τόξον ὥς τις ἐντείνων', πρὶν δή τις, φησί, παροῦσα δαίμων ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ· ὁ δὲ Σοφοκλῆς, ἐριθεῦσαί μέν τι ὡς πρεσβυτέρῳ μὴ βουληθείς, οὐ μὴν παραλιπεῖν αὐτὸ δοκιμάζων, ψιλῶς φησι· 'πλευρὰν ἀναρρήξαντα τῷδε φασγάνῳ', κατὰ τί τὴν πλευρὰν μὴ εἰπών.* Sed multo luculentius exemplum Didymi scholion praebet ad eiusdem fabulae versum 813: *μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπ' ἐρήμου τινὸς χωρίου, ἔνθα ὁ Αἴας εὑτρεπίσας τὸ ξίφος ῥῆσίν τινα πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται, ἐπεὶ γελοῖον ἦν κωφὸν εἰσελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια. εἰώθασι γὰρ τὰ τοιαῦτα δι' ἀγγέλλων ἀπαγγέλλειν. τί οὖν τὸ αἴτιον; φθάνει Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις τὴν ἀναίρεσιν Αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας· ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέρου τινὸς ὑπ' ὄψιν θῆκε τὸ δρώμενον.* His Didymi cum alter scholiasta adderet: *ἢ μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενος· εἰκῇ γὰρ κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιον οὐδὲ δίκαιον*, probe Trendelenburgius notavit illud *ἀνδρὸς παλαιοῦ*, quo Sophoclem recentioribus opponens a poeta sanctae vetustatis omnem ille arceret calumniam. Nam cum iam de Euripide paullo aliter iudicarent, vel magis hoc statuendum erit de adulescentulis illis *Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλιστέροις*. Porro eodem spectat parabaseos quam dicit tragicae mentio apud Pollucem iniecta: *τραγικὸν δὲ οὔκ ἐστιν (ἡ παράβασις), ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν· ἐν μέν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρᾴδειν, ἐκλαθόμενος ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς*

λέξεως τὰς γυναῖκας· καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἀμίλλης ποιεῖ σπανιάκις. Cum ea qua hoc loco de Sophocle iudicium fit ratione consentit Didymi scholion ad Electrae versum 62: *εἰς τοῦτο οὖν ἔοικεν ἀποτείνεσθαι ὁ Σοφοκλῆς. ἔνιοι δὲ οἴονται ἀπιθάνως εἰς Ὀδυσσέα ἀποτείνεσθαι· οὕπως γὰρ πέπρακταί τι τοιοῦτον Ὀδυσσεῖ. ἐφυλάξατο δὲ ὀνομάσαι τὸν ἄνδρα, μή τῳ θαυμαστὸν εἶναι δόξῃ, ὡς ἐν τραγῳδίᾳ καὶ μύθῳ παλαιῷ τετόλμηκέ τι κακόηθες εἰπεῖν καὶ προσκρουστικὸν εἰς τοὺς καθ' ἑαυτόν, ὃ μᾶλλον ἥρμοζε κωμῳδίᾳ.* Quocum conferas eiusdem Didymi scholion ad Phoenissarum versum 751: *πεφύλακται τὰς ὀνομασίας αὐτῶν εἰπεῖν, ὥς φησι Δίδυμος, διὰ τὸ ὑπὸ Αἰσχύλου εἰρῆσθαι ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, ἢ ἐπειδὴ μὴ καλὸν ἦν ἑκάστου καταλέγειν τὸ ὄνομα τοῦ πολέμου ἐπείγοντος.* Et profecto Euripidem haud raro poetas aemulos aperte impugnare et invehi in eorum rationem — velut praeter illum Phoenissarum locum in Supplicibus, in Electra, alias — quis est qui ignoret? Ac ne illae quidem praetermittendae sunt comicorum cum tragicis contentiones. Namque non inepte scholia ad Ranas dicere: *ὅτι ἀλλήλους διαβάλλουσι κωμικοὶ καὶ τραγικοί*, id iam notum illud Euripidis in Melanippa probat exemplum. Denique huc referendum erit Lycurgi fragmentum apud Harpocrationem servatum cum Didymi explicatione, quae quidem fugit in huius grammatici relliquiis colligendis Mauricium Schmidtium: *τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται*] *Λυκοῦργος ἐν τῷ πρὸς Δημάδην, καὶ Δίδυμός φησιν ὅτι παροιμία ἐστὶν ἐπὶ τῶν ἁρμοζομένων καὶ σεμνοποιούντων ἑαυτοὺς πρὸς τὰ ἐναντία*, ubi *ἀγωνιεῖται* eodem fere sensu usurpatur quo *κωμῳδεῖν* cum aliis dicit Aristoteles in arte poetica: *ἔτι δὲ Ἀρειφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει.*

Quorsum equidem testimonia colligo de re, quam et alii tractarunt et Tu ipse, pater optime, haud semel attigisti? Nimirum eodem pertinere puto locum illum Suidae decantatum, qui Tibi potissimum iracundiam saepe ac stomachum movit. Eum autem locum quod de tetralogia aliquid continere statuisti cum ceteris, id unius debetur Meursii coniecturae. Qui ubi in codicibus legit: *καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ στρατολογίαν*, pro ultimis verbis 'sed non exercitus collectionem' 'sine dubio' *ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν* rescribendum esse posuit. Cum enim Aeschyli aliorumque saepius neque tamen unquam Sophoclis

in didascaliarum relliquiis commemorari videret tetralogias, eum omnino non certasse nisi singulis tragoediis conclusit. Eadem igitur ille ratione procedebat, qua Tu iam ipsius Suidae auctorem usum esse ratus pro autoschediasmate verba habuisti; non recte, ut mihi videtur. Nam — ut omittam, quod deinde demonstrabo, τετραλογίαν omnino scribi non licere — obstat quod unum fere Kolsterum in censura libri Tui recte monuisse existimo veteres grammaticos, qui in eo maxime versarentur, ut scriptorum libros explicarent, deinde, quae hic illic explicata seu excerpta reperirent, colligerent atque componerent, non raro ad locos difficiliores interpretandos suopte ingenio aliquid excogitasse, talia, qualia hoc loco Suidam credunt adnotare, vix unquam effinxisse. Sed Meursii rationem quamquam postea intellectum est falsissimam esse, tamen coniecturam eius ad unum retinuerunt omnes, nisi quod cum Naekio nonnulli τετραλογεῖσθαι praeferebant pro τετραλογίαν, quippe quod propius accedere ad optimorum Suidae codicum scripturam στρατολογεῖσθαι sibi persuaderent: quin adeo vulgatae ius obtinuit Meursii coniectura, ut Welckerus aliquando Leidensem notaret στρατολογεῖσθαι exhibere pro τετραλογίαν. Qua mutatione recepta quantas sibi pepererunt difficultates quantasque dederunt turbas interpretes! E quibus Clintonis, Karsteni, Bergkii, Welckeri nimis vagari opiniones non est quod post Tuas aliorumque rationes exponam; Boeckhii autem explicationem apertis niti erroribus cum Sauppio planissime evicisti. Quid autem quod Bernhardyus, etsi de Tuo libro dicit: ‘*dem gründlichen Unterricht fehlt die historische Grundlage, da Schöll die Angabe des Suidas als ein Autoschediasma verwirft*’ (p. 37), idem tamen concedere coactus est (p. 38): ‘*an dieser Frage haftet nach allen Erwägungen ein Dunkel, welches mittelst klarer historischer Angaben nicht mehr zu beseitigen ist*’ et alibi (p. 330): ‘*man hat bereits genug Hypothesen aufgestellt, doch ist noch keinem gelungen, mit dieser unergiebigen Frage fertig zu werden.*’ Ita sane postulare videtur, ut quasi malus architectus in obscuro ac tenebroso loco fundamentoque tanquam in aqua posito aedificium exstruas! Quae autem omnium perversissima et Tibi et Bernhardyo aliisque visa est C. F. Hermanni explicatio, eam duo nuper viri defendendam susceperunt, censor ille Tuus Kolsterus et Leopoldus Schmidtius Marburgensis. Vos enim cum sublata eiusdem tetralogiae con-

tinuitate, qualem certis exemplis etiam postero tempore adhibitam esse constat, omnem iudicii vim et perspicuitatem tolli contenderetis, Kolsterus opposuit, quod ioci causa affero: ‘*und doch ist sie gar nichts anders, als was in jedem Examen geschieht, um ein Gesammturtheil über die Leistungen des Examinanden zu finden.*’ At qui non capit aliud esse de discipulorum scientia iudicium perpensare, aliud artis opus aliquod consummatum animo percipere — utinam ne a puerorum examinibus ad poetarum aestimationem transeat! Neque tamen puduit Leopoldum Schmidtium ineptam istam Kolsteri comparationem repetere ac laudare simulque cum eo somniari non tam certaminis rationem ita mutatam esse, quam iudicibus praeceptum quoddam datum (‘*eine Instruktion für die Richter*’), quod nec in verbis inest nec rebus comprobari potest. Denique Kolsterus, qui semper in ore habet Aristotelem, in hac ipsa re respicere debuit eius sententiam: *δύνασθαι γὰρ δεῖ συνορᾶσθαι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος, εἴη δ' ἂν τοῦτο εἰ τῶν ἀρχαίων ἐλάττους αἱ συστάσεις εἶεν, πρὸς δὲ τὸ πλῆθος τραγῳδιῶν τῶν εἰς μίαν ἀκρόασιν τιθεμένων παρήκοιεν.* Ceterum cum et a Schmidtio et a Bernhardyo aliisque laudatam videam Kolsteri censuram, non sine voluptate percepi Vahlenum nuper, cum Tuam quandam de Aristotele opinionem recte, ut puto, corrigeret, profiteri melioribus certe rationibus, quam quales ille protulit, librum Tuum aestimandum esse.

Sed Suidae locus quam sit desperatus, optime demonstrare possunt novae explicationes, quas quoniam Tu aliique ceteras omnes explosistis, viri doctissimi duo Dindorfius et Usenerus excogitarunt. Ac Dindorfius quidem, cum in eis quae secuntur apud Suidam *ἔγραψε.... καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος* ultima valere non posse opinaretur nisi de Thespidis Choerilique aequali quodam, haec manifesto errore huc illata et temere a Suida cum eis de quibus disputamus verbis loco mota esse contendit. Iam cum tetralogiam a Phrynicho institutam esse sibi persuaderet, de hac re dicit ‘nos disertum habituros esse veteris grammatici testimonium’, si Suidae verba sic conformata (rectius dixeris perturbata) ad Phrynichum referantur:.... *πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος. καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ μὴ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ τετραλογίαν.* Sed ut mittam, si nec id servatur quod dicitur, nec is de quo dicitur, nec locus ubi dicitur, nihil diserti ‘disertum’

habere testimonium, videat Dindorfius, ne vel nimis disertum sibi finxerit, quod ea edisserat, quae ne ex ipsius quidem sententia stare possint. Quid enim? nonne eodem loco, ubi haec protulit, recte explanavit Thespidis temporibus nullam fuisse *ἐναγώνιον ἅμιλλαν* neque disertis de hac re testimoniis Aristophanis obstare *τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο*, qui ex suae aetatis more ita diceret? Atqui Phrynichus *πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος* traditur! Itaque quod et Nauckius probavit et nuper sodalis quidam meus Lipsiensis in Actis societatis nostrae philologae de Sophoclis Euripidisque morte doctissime et subtilissime disputans Dindorfium posuit 'recte sine controversia' coniecisse, id non minore confidentia iam certis nisus argumentis sine controversia falsum esse iudico. Verba autem *ἔγραψε καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος* ne possunt quidem aliter accipi quam Naekius Tuque ipse accepistis, nempe de disputatione contra antiquiores poetas edita: quod grammaticos voluisse certum est, quamvis de ipsa Sophoclis scriptione anceps sit iudicium. Verbi autem *ἀγωνίζεσθαι* hic usus vel maxime conspicuus est in talibus coniunctionibus, velut *ἀγωνιεῖται δὲ καὶ κριθήσεται* apud Demosthenem, *ἀγωνιζόμενοι καὶ διαφιλονεικοῦντες* apud Aristotelem, similia; porro vide sis quod supra attuli Lycurgi fragmentum *τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται.*

Iam vero Usenerus cum iam antea dixisset '*kann auch vernünftiger Weise kein Zweifel über die wirkliche Bedeutung dieser ungeschickten Worte bestehen*', mox 'egregiam' quam putat Naekii coniecturam *τετραλογεῖσθαι* amplexus etiam *ἀγωνίζεσθαι* mutandum esse in *διορίζεσθαι* proposuit. At etsi periculum est, ne in dementiae crimen penes illum incidam, tamen profiteor mihi non modo ab omni ratione abhorrere videri, si quis ita sibi testimonium efficiat, ut ea verba, in quibus ipsis omnis sententiae vis et gravitas posita est, violentis ac temerariis coniecturis immutet, verum etiam 'egregium' illud *τετραλογεῖσθαι* peccare videri contra certas leges formandorum in lingua graeca verborum. Etenim sicut *κωμῳδεῖσθαι* et *τραγῳδεῖσθαι* non a *τραγῳδία*, *κωμῳδία* verbis derivata sunt, sed a *τραγῳδός*, *κωμῳδός* — id quod etiam ipsa significatione ipsoque usu comprobatur — ita *τετραλογεῖσθαι* derivatum esset a *τετράλογος*, quod nihili est. Iam ut a *μεσημβρία* non *μεσημβρεῖν* venit, sed *μεσημβριάζειν*, *μεσημβρίζειν*, ab *ἀγώνιος*, *ἀγωνία* non *ἀγωνεῖν* sed *ἀγωνιᾶν*, *ἀγωνί-*

ζεσθαι, a διπλάσιος non διπλασεῖν, sed διπλασιάζειν: ita τετραλογιάζειν, τετραλογίζειν, τετραλογιᾶν formari poterant, quae tamen in tanta vocis τετραλογία raritate nunquam formata sunt; egregium illud τετραλογεῖν vitiosum est.

Sed alterum, ni fallor, in verbis latet vitium, si quidem cum plerisque de certaminibus publicis intellegimus δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι. Hac enim notione ex constanti usu δράματι πρὸς δρᾶμα vel δράμασιν πρὸς δράματα ἀγωνίζεσθαι exspectandum erat, cum δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι simpliciter sit 'agere fabulam', non 'certare fabula'. Conferas velim apud Diogenem Laertium οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, in scholiis ad Platonis apologiam τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον, apud Dionem Chrysostomum οὐδέποτε τῷ αὐτῷ δράματι ἀντηγωνίζοντο, apud Aelianum εἴ ποτε Εὐριπίδης ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, in Pluti argumento ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσι κτλ., et eius generis permulta. Cum autem a contrario ut aiunt vel maxime tale comprobetur discrimen, exemplum proferam ex Aristotelis arte poetica: εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλέψυδραν ἂν ἠγωνίζοντο, ubi si dixisset ἑκατὸν τραγῳδίαις, sententia esset centenis (contra centenas) fabulis certare. Ac nescio an tale quid et Hermannus senserit, cum suam sententiam solam verbis apte respondere identidem urgeret, et Naekius, cum praeter τετραλογεῖσθαι scribendum saltem esse διὰ τετραλογίαν proponeret — nisi quod tum etiam διὰ δρᾶμα requireretur —, denique Usenerus, cum διορίζεσθαι postularet.

Sed aptissimam sententiam assequimur, si ἀγωνίζεσθαι eadem significatione percipimus, qua post paucos versus apud Suidam extare vidimus πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος, et δρᾶμα· πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι ad eam fabularum eiusdem argumenti contentionem pertinere sumimus, de qua supra nonnulla composui. Haec autem vocis δρᾶμα notio, qua argumentum simul intellegitur, saepius usu venit: velut in scholiis ad Phoenissas 1710: διὰ μὲν τοῦ 'ἐγώ σφε θάψω' σπέρματα τῇ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ παρέσχε, διά τε τοῦ φεύγειν τῷ ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίποδι· ὡς βούλονται γὰρ οἰκονομοῦνται τὰ δράματα. Ceterum ex hoc exemplo vides iam veteres grammaticos Tecum Antigonam cum Oedipo Coloneo consociasse, ut idem de Oedipo Rege cum Coloneo coniuncto argumentum prodit: ὁ ἐπὶ Κολωνῷ

Οἰδίπους συνημμένος πώς ἐστι τῷ Τυράννῳ. Neque quod vulgo credunt huic rei didascaliae obstant. Nam de Antigona iustam non habemus didascaliam; Oedipum autem Coloneum quod dicitur *ἐπὶ τελευτήσαντι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱοῦς ἐδίδαξεν*, hoc recte de iterata post mortem actione interpretatus es. Quod vero Kolsterus cum aliis opposuit *ἐδίδαξεν* dici, non *ἀνεδιδάξατο*, illud dispiciendum ei erat nequaquam hoc in usu auctores sibi constare: velut in locis illis de instaurandis Aeschyli tragoediis unus Philostratus *ἀναδιδάσκεσθαι* habet, ceteri testes simplex verbum; itemque de iterata apud Hieronem Persarum actione Dicaearchum supra vidimus *ἀναδιδάξαι* dicere, cum in Ranarum scholiis de eadem re extet· *δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ἀπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Συρακούσαις σπουδάσαντος Ἱέρωνος ὥς φησιν Ἐρατοσθένης.* Contra de nubibus, quamquam correcta iterum docebatur, in argumento dicitur: *διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι κτλ.* Iam vero ad eandem didascaliam a nepote institutam spectarunt, qui in argumento Oedipi Regis eum 'priorem' non modo *διὰ τὰ πράγματα*, verum etiam *διὰ τοὺς χρόνους τῶν διδασκαλιῶν* dixerunt. Sed hoc in transcursu tangere volui. Agendum autem erat de vocis *δρᾶμα* propria quadam significatione, quam etiam luculentius probat Dionis Chrysostomi locus: *καὶ ἅμα οὐ πολλάκις ἴσως ἢ οὐδέποτε τῷ αὐτῷ δράματι ἀντηγωνίσαντο*, ubi *τῷ αὐτῷ δρ.* non est 'eadem fabula', sed 'eiusdem argumenti fabula.'

Iam igitur cum *καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι* significet 'apud eundem primum invenitur fabulam (argumento) adversari fabulae', restant verba *ἀλλὰ μὴ στρατολογεῖσθαι* (*στρατολογίαν* deteriores). De 'exercitus collectione' recte Meursium negasse agi posse non est quod dicam. Sed reputandum erat *στρατολογεῖσθαι* etiam 'bellandi' notionem induere, quod et exempla docent in Thesauro exhibita et Hesychii glossa *στρατολογήσαντι*] *στρατεύσαντι.* Hanc vero bellandi notionem etiam translato sensu usurpari locus demonstrat a Ludovico Dindorfio apud Stephanum excitatus ex Eustathii opusculis: *τὰ ἄλλα πάντα, δι' ὧν στρατολογεῖται μῖσος ἀντίπαλον ἀγάπῃ*, quem quidem flosculum mecum senties non domi natum esse Eustathio. Iam vero hanc si spectas significationem, nonne in oculos incurrit *στρατολογεῖσθαι* fortius esse dictum quam *ἀγωνίζεσθαι*, opponique per hoc verbum tacitam Sophoclis adversandi

rationem Euripidis aliorumque modo invehendi in adversarios? Sed sane una restat difficultas in ἀλλὰ μή particulis, quae cogunt, ut quod opponitur de priorum, non de posteriorum consuetudine accipiamus. At hoc incommodum lenissima coniectura, vel potius correctura, evitabimus pro ἀλλὰ μή scribentes ἀλλ' οὐ μήν, ut sit sententia: καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλ' οὐ μὴν στρατολογεῖσθαι, 'apud eundem primum invenitur fabulam (argumento) adversari fabulae, nec vero belligerare (*jedoch ohne Polemik*)'. Talis sententia quantopere conveniat eis, quae aliis locis adnotarunt grammatici, supra exposui. In quibus praeter Lycurgi fragmentum saepius commemoratum τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται vel maxime Pollucis velim verba respicias καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἀμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ubi salva sententia dicere potuit πρὸς ἐκεῖνον ἀγωνιζόμενος ποιεῖ σπανιάκις. Denique etiam de hoc cogitari poterit, verba ἀλλὰ μὴ στρατολογεῖσθαι num forte ab interpolatore addita sint, qui quod praecedit iudicium quodam modo restricturus parum apte sententiam expresserit; ut ita Suidae locus constituendus sit: καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι [ἀλλὰ μὴ στρατολογεῖσθαι], καὶ ἔγραψεν ἐλεγείαν τε καὶ παιᾶνας καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος.

Quod si cui adhuc scrupulus restat de hac interpretatione, id unum me satis comprobasse confido nullam omnino cum tetralogia rationem habere hunc Suidae locum, quoniam τετραλογεῖσθαι vel τετραλογίαν scriptura nullo iure in verborum contextum illata sit. Quare aut mea probanda erit explicatio aut locus prorsus derelinquendus tanquam inexplicabilis. Qui quantopere eas, ad quas minime pertinet, quaestiones de Sophoclis in fabulis componendis arte perturbaverit et impediverit, Tibi non est quod exponam.

Atque haec quidem hactenus. Tu igitur, pater carissime, hoc ἀγώνισμα meum, quod nesc'o an aliorum στρατολογίαν excitaturum sit, qua soles accipe benivolentia idque unum cura, ut Te nobis salvum incolumemque conserves, donec pleniorem Teque digniorem filii operam accipere possis: quod si effeceris, non dubito quin nobis diu etiam gaudere liceat suavi Tua venerabilique senectute.

Addenda et Corrigenda

p. 14 *n.* 2 *in. add.* Plut. Nic. 6 ὃς (sc. *Πάχης*) *εὐθύνας διδοὺς τῆς στρατηγίας ἐν αὐτῷ τῷ δικαστηρίῳ σπασάμενος ξίφος ἀνεῖλεν ἑαυτόν.*

p. 15 *n. v.* 12 *corr.* p. 28 n. 2.

p. 32 *n.* 2. Oropiorum *συνήγοροι τῆς πόλεως* (supra p. 7 n. 1) cur mihi huc pertinere non videantur, alio loco exponam.

p. 32 *n.* 3. Chiorum quoque innotuerunt *ἐξεταστaί* ex inscriptione edita in Actis mensir. acad. Berol. a. 1863 p. 265 sq.

R. S.

p. 40 *sqq.* Cum ab huius scriptionis consilio alienum visum sit locis omnibus diserte citatis onerare disputationem, plerosque et veterum scriptorum et recentiorum locos accuratius indicatos esse moneo in ea quam saepius memoravi collectione testimoniorum adnexa Ritschelii editioni fabulae Sept. c Th.

F. S.

Typis Fischer & Wittig, Lipsiae.

Verlag von Hermann Dufft in Jena:

Schmidt, M., Horazische Blätter. Der Brief an die Pisonen. Eine Horazhandschrift. Der Brief an Florus. 1874. 66. gr. 8°. broch. M. 1. 50.

— — Die Sophokleischen Chorgesänge rythmirt. 1870. 88. 8°. broch. M. 1. —.

— — Hygini fabulae. 1872. LIV. 172. gr. 8°. broch M. 8. —.

— — The Lycian inscriptions after the accurate copies of the late Augustus Schoenborn. With a critical commentary and an essay on the alphabet and language of the Lycians. 1868. gr. Fol. broch. M. 18. —.

— — Pindar's Olympische Siegesgesänge. Griechisch und deutsch. 1869. XXIV. CXLVIII. 91. 8°. broch. M. 6. —.

— — Sophoclis Oedipus tyrannus in usum scholarum 1871. 89. 8°. broch. M. 1. 50.

— — Neue Lykische Studien und das Decret des Pixodaros von W. Pertsch. Mit 2 lithographischen Tafeln. 1869. VIII. 144. gr. 8°. broch. M. 12. —.

— — Verbesserungsvorschläge zu einigen schwierigen Stellen in Aeschylus Agamemnon. 1864. 20. 4°. broch. M. —. 60.

— — Verisimilium capita duo includae viadrinae A. D. MDVI ab Joachimo conditae post annum quinquagesimum quam Vratislaviam Francofurto lares transtulit. Semiscularia Prima rite celebranti gratulabundus obfert. 1861. 32. 8°. broch. M. —. 60.

— — Die Inschrift von Idalion und das kyprische Syllabar. Eine epigraphische Studie. Mit einer autographirten Tafel. 1874. gr. 8°. broch. M. 6. —.

Schöll, Rudolf, Karl Nipperdey † am 2. Januar 1875. Akademische Gelegenheitsrede gehalten am 16. Januar 1875. gr. 8°. broch. M 1. 20.

Druck von Fischer & Wittig in Leipzig.

Mettius 1K: 20



Ga 9.825
Rudolfi Schoellii.
Widener Library
006897763
3 2044 085 084 630